



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Disputatio LXXV. De essentia sacrificij Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

in Ecclesia, nullum est conueniens, dum pro do sub-
stantia sacrificij non immuetur. Et ex his satis sunt
expeditæ difficultates in principio factæ.

DISPUTATIO LXXV.

De Essentia sacrificij Eucharistie.

Disput. 3. de
sacrificio.



Essentia sacrificij in duobus consistit, nempe in ritu externo, & in significatione. De hac posteriori parte nihil est, quod in præsentis eadem est: nam significatio moralis est eadem in hoc, & in cæteris: Omnia enim sunt signa interioris cultus lætitiæ, & recognitionis excellentiæ diuinæ: quod maxime fit per sacrificium, quod holocaustum dicitur, nam sacrificium laudis specialiter indicat gratum animum erga Deum: Sacrificium autem propitiatorium est signum animi contriti, quæ omnia perfectissime in hoc mysterio significantur. Rursus significatio mytica clara est in hoc sacrificio, quod memoriale est passionis Christi, quæ omnia inter explicandum essentialia ritum huius mysterij magis declarabuntur. Igitur disputatio hæc tota est de essentiali ritu, & actione huius sacrificij, in qua duo possunt considerari, scilicet obiectum actionis sacrificandi, & ipsa actio. Rursus in obiecto aliquid considerari potest, vt materia sacrificij, quod potest vocari obiectum, quod & huiusmodi est res, quæ in sacrificium offertur: aliquid vero considerari potest, vt vltimus terminus, in quem tendit actio sacrificandi, & appellari potest obiectum cui, & huiusmodi est persona, cui sacrificium offertur. Et de hoc posteriori obiecto nihil est etiam quod in præsentis dicamus, quia hoc obiectum idem est in omnibus sacrificijs, scilicet, Deus, cui soli sacrificium offerendum est. Illud solum hic adnotandum est, sacrificium hoc non tantum Patri, sed etiam filio, & Trinitati toti offerri, in quo nonnulli hæretici male senserunt, quia circa Filij etiam diuinitatem errarunt: contra quos disputat Fulgent. lib. 2. ad Monimum à principio: supposita autem veritate de trium personarum Deitate, nulla ratio dubitandi relinquatur: quin omnibus, quatenus vnus Deus sunt, sacrificium offertur: imo addere possumus, illud reperiri in hoc sacrificio maioris cuiusdam perfectionis, quod expressius in honorem Dei vnus & trini offertur: quia ex fide expressione totius Trinitatis procedit, & quædam illius confessionem continet, quatenus in illo offertur Christus, verus Filius æterni Patris, in quantum Deus est, & Spiritus S. virtute Incarnatus, seu conceptus, quatenus homo est. Poterat autem hoc loco impugnari error dicentium, aut B. Virgini, aut sanctis Martyribus sacrificium offerri. Sed contra hoc videri potest Epiphani. hæret. 78. & 79. & Aug. 20. contra Faust. c. 21. Nos enim satis in tomo primo & secundo ostendimus, nec Sanctis, nec B. Virgini dandum esse cultum lætitiæ, sub quo certum est, sacrificium contineri. Dicendum ergo solum superest, quod & per quam actionem in hoc sacrificio offertur.

Significatio
moralis sa-
crificij Eu-
charistie cõ-
munita cura
causis My-
stica com-
memoratio
Christi pas-
sionis.
Obiectum cui
Domi.

Epiphani.
Augustin.

ficio res oblata est, quæ supponitur actioni sacrificandi, & nõ illa, quæ ex tali actione resultat, vt in immolatione agni, res oblata est agnus viuus, non cada uer eius, quod ex immolatione resultat, sed in præsentis, quod supponitur est panis & vini: ergo hæc, sunt res oblata in sacrificio: Christus autem, qui per talem actionem cõsicitur, solum erit sacramentum, seu sacer cibus, sicut erat agnus Paschalis post immolationem. Tertio ex vsu & verbis Ecclesiæ, & Sanctorum: nam Ecclesia in Missa prius offert panem & vinum, & illa vocat hostiam, seu rem oblatam, & in quadam antiphona dicit: Sacerdos in æternum Christus secundum ordinem Melchisedech, panem & vini obtulit. Et similiter Cyr. ep. 63. Panem & calicem mistum vino obtulit. Et Iren. l. 4. c. 32. Præcipit Christ' Apostolis, vt primitias creaturarum, scilicet, panem & vini Deo in sacrificiũ offerant. & Alex. l. epist. 1. Panis tantum & vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur. Et idem sumi potest ex Greg. lib. 3. Dial. c. 23. & Greg. Mag. lib. 4. c. 55. & ex Fulgen. de fide ad Pet. c. 18. qui hoc vocat sacrificium panis & vini, & ex Clemente Papa epist. 2. dicente. Tot holocausta in altari offerantur, quot populo sufficiant, vbi ipsas panis hostias, holocausta vocat.

Supponendum est in omni sacrificio, in quo fit realis transmutatio, aliquid posse in re oblata considerari, quod supponitur actioni sacrificandi: aliquid vero, quod per illa resultat, ex qua consideratione variae opiniones in præsentis quaerit. ortæ sunt.

Prima opinio est, duplex esse sacrificium, alterum panis & vini, alterum corporis & sanguinis Domini: Prius autem esse præambulum ad posterius, ad quod ordinatur tanquam ad id, quod primario intentum est, ideoq; vnum sacrificium appellari: quia vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantum. In priori ergo sacrificio dicunt, rem oblatam esse panem & vinum: in posteriori vero esse corpus & sanguinem Christi. Ita tenet Ruard. art. 18. contr. Luth. & Cassal. li. 1. de sacrificio Missæ. c. 25. Hæc vero opinio, & procedit ex falso fundamento, vt constat ex disp. præcedente, & no explicat, quid sit materia, quid vero terminus huius sacrificiationis. Item: cum duplex sacrificium distinguat, duplicem etiam oblationem assignare deberet: quod tamen facere non potest, quia illa oblatio ceremonialis, quæ circa panem & vinum antecedit in Missa, non est ratione sacrificij Eucharistie, neq; ex Christi institutione, vt infra ostendemus: vnde inquiri etiam ab his authoribus potest, an hæc duo sacrificia sint essentialiter coniuncta ex Christi institutione, nõ si primũ dicatur, oportet distinctas actiones sacrificandi à Christo institutas designare, quod fieri non poterit. Si autem non sunt ita connectæ, separemus sacrificium illud, quod solum circa panem & vinum, vt sic versatur: & de alio quaestio relinquatur, quomodo ex parte rei oblatæ concurrant panis & vinum, & corpus & sanguis Christi, cum hæc omnia sint in illo necessaria.

Secunda opinio est, solum Christum esse rem oblatam in hoc sacrificio, ita vt, quatenus in propria specie existit, sit res oblata, vt materia sacrificij, quia vt sic supponitur actioni sacrificandi, vt vero est sub speciebus, & habet modum existendi sacramentalis, fit res oblata, vt terminus significacionis, quia vt sic fit per actionem sacrificandi. Sed hæc opinio est plane falsa, quoad priorem partem, vt infra ostendat, quia existentia Christi in propria specie, est omnino extra rationem huius sacrificij, quod atinet ad materiam eius, ac deinde male excludit omnino panem & vinum, & non declarat, quomodo ad hoc sacrificium concurrant.

Tertia opinio est Christum, vt existentem sub speciebus, esse materiam huius sacrificij, quæ actioni eius supponitur: vt oblatum vero, seu vt manducatum, vel aliquid simile, esse rem oblatam per modum termini sacrificacionis. Iuxta quam sententiam confes-

Cyprian.
Irenæus.

Alex. I.

Greg. Mag.
Fulgent

Clem. Papæ.

1. Opinio.
Duplex sa-
crificium sub
ordinatum
& vniuersum
explicatur.

2. Opinio.

Reijciunt.

3. Opinio.

Gggg 3. quenter

SECTIO I.

Vtrum totus Christus sit res oblata in Missæ sacrificio.

Difficultatis
ocasio.

Actio dubitandi est, quia res oblata videtur esse panis & vinum: ergo non Christus. Patet consequentia: quia in vno sacrificio vna tantum est res, quæ offertur. Antecedens vero probatur primo: quia illud offertur, quod sacrificatur, illud autem sacrificatur, quod immutatur, seu destruitur in honorem Dei, vt constat in sacrificijs veteribus: Agnus enim, qui interfectebatur, sacrificabatur: Hic autem panis & vinum sunt, quæ immutantur, dum in corpus & sanguinem Christi conuertuntur: ergo hæc sunt, quæ sacrificantur & offeruntur. Secundo, quia in omni sacri-
Fr. Suarez Tom. 3.

consequenter dicendum erit consecrationem non pertinere intrinsece ad actionem sacrificandi, sed esse, quasi praambula, sicut Incarnatio Christi intrinsece non peruenit ad actionem sacrificij cruenti, sed fuit, quasi praeparatio materiae: sic enim Christus per consecrationem constituitur sub speciebus, & ita fit materia apta inruente sacrificati. Haec vero opinio supponit sententias valde dubias de actione sacrificandi, ut postea videbimus, & non explicat, quomodo panis & vinum pertineant ad rem oblatam in hoc sacrificio.

Improbatur.

Christus est in Eucharistico sacrificio materia prima oblati. Dico primo: Christus Dominus est res primo ac principaliter oblata in hoc sacrificio. Est conclusio certa, & ita in ea omnes Catholici consentiunt. Quae probatur primo ex illis verbis Christi: Hoc est corpus meum, quod pro vobis fragitur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur: nam referendo haec verba ad mysticam fractionem, seu effusionem, ut multi SS. exponunt, ex eis colligitur, corpus & sanguinem Christi hic sacrificari, & pro alijs offerri. Accedunt praeterea verba illa: (Hoc facite) quae duobus modis possunt exponi, primo, ut per pronomen (Hoc) designetur id, quod Christus proximè ante illa verba, discipulis dederat, scilicet seipsum sub speciebus panis & vini, & verbum (facite) pro verbo (sacrificate) usurpetur, iuxta phrasim Scripturae supra tactam. Secundo modo potest exponi, (Hoc facite) id est, quod ego feci, id vos facite: ipse autem seipsum sacrificauerat, ut in proxima disputatione late ex sanctis Patribus declaratum est, & adungi nunc potest illud 1. ad Corint. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus: Constituit enim Paulus differentiam in re Iudaeorum Pascha, & Christianorum: nam Pascha Iudaeorum erat materialis agnus immolatus Deo: Christianorum autem Pascha est Christus agnus Dei, non tamen sine immolatione, sed iam immolatus, non in cruce tantum, nam prius cepit esse Pascha fidelium, scilicet Apostolorum in vltima caena, qua crucifigeretur: est ergo Pascha, quatenus in cruce immolatus est, ut in hoc mysterio perfecte impleatur figura agni Paschalis. Vnde, sicut illud Pascha cum gaudio celebrabatur, & sacrificabatur in memoriam suscepti beneficii, ita immolatio, quae hoc nostrum Pascha antecedit, non est tantum illa cruenta & luctuosa, sed est haec in cruce, & gratiarum actionis in memoriam suscepti beneficii. Sicut ergo Christus est Pascha nostrum, ita etiam est res praecipue oblata seu immolata in hoc sacrificio. Et hanc expositionem indicat Chrysostomus, Beda, & alij, in eodem loco, & idem Chrysostomus, de ieiunio Paschalis. Et ad hoc confirmandum valent etiam illa verba Pauli 1. ad Corint. 10. Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Et infra. Qui edunt hostias, participes sunt altaris, non potestis mentis Domini participes esse & mensae demoniorum, nam eo loco intendit Paulus, quod sicut Gentiles vel Iudaei fiebant participes sacrificiorum, comedendo ex carnibus immolatis, quae erant hostia sacrificij: ita nos efficiamur participes huius sacrificij, corpus Christi edendo: in quo Christus hostia est in hoc sacrificio praecipue oblata. Valent etiam ad hoc persuadendum, quae supra adduximus ex Andrea Apostol. dicente: Ego quotidie sacrificio Deo agnum immaculatum: & Hyppol. in oratione de consum. mundi: ubi Christum introducit, dicentem ad Sacerdotes: Venite, qui quotidie meum corpus & sanguinem immolatis: & ex Dionys. c. 3. de caelesti Hier. par. 3. dicente Sacerdotem immolare, hostiam salutarem, quae supra ipsum est. & Greg. Niss. orat. 1. Paschalis, Arcano sacrificij modo idem est Sacerdos & agnus. Idem fere Euseb. Emis. homil. de corpore & sanguine Domini, qui habetur etiam inter opera Hieron. tom. 9. & in c. Quia corpus, de consec. dist. 2. & Cyrill. Alex. in defenf. anath. 11. Gregor. 4. Dial. cap. 58. & optime Ambros. 1. offic. cap. 48. & super Psalm. 38. & lib. 1. in Luc. c. 1. Cum sacrificamus, Christus adest, Christus immo-

latur. Denique facit, quod Patres omnes dicunt, quod rem oblatam idem esse hoc sacrificio, cum sacrificio crucis, in quo certum est, Christum fuisse victimam oblatam: de qua re legi potest Chrysostomus homil. 17. in epist. ad Heb. & hom. 2. in c. 1. dicit, Christum in caena obtulisse Patri suum corpus & sanguinem, & c. 2. dicit, eandem nunc esse hostiam, quae fuit in cruce, sola offerendi ratione diuersam, & Cano. 2. definit, Christum illis verbis: (Hoc facite) Ordinasse Sacerdotes, ut offerret corpus & sanguinem suum. Vltimo adiungitur ratio, quia hoc pertinet ad excellentiam huius sacrificij, quod propterea (terribile & honoris plenum) appellat Chrysostomus homil. 67. ad Popul. Eusebius vero 1. de Demonst. cap. 11. vocat, sacrificium Deo verum, Aug. vero de Spirit. & lit. summum, ac singulare. Et confirmatur, quia c. 11. haec ratione hoc sacrificium ex parte rei oblata dicitur, oblatio munda, semperque efficax ad placandum Deum. Ac denique est valde consentaneum perfectioni Ecclesiae, ut offerat Deo id, quod in ea maius & excellentius est: Hoc autem est corpus & sanguis Christi. Etenim, sicut ad substantiam religionis pertinet, sacrificium Deo offerre, ita ad perfectionem eius spectat, ut ex melioribus bonis sacrificium Deo offeratur. Item conueniens fuit ad significandam excellentiam & sufficientiam sacrificij crucis, in re hoc nostrum sacrificium vnum esset cum illo in re oblata, & in principali offerente, ut Sancti supra citati docent, explicantes locum Pauli ad Hebr. 10.

Dico secundo: Christus, ut in propria specie existens, nullo modo est res oblata in hoc sacrificio. Probatur, quia in primis certum est, nullo modo esse rem oblatam, ut terminum huius sacrificij, quia ut est in propria specie, nullo modo fit, aut immutatur per actionem, quae hic sacrificatur: ergo nullo modo est terminus eius. Deinde, quod nec etiam fit res oblata, ut materia huius oblationis, probatur primo: quia in hoc sacrificio nulla est actio, quae versetur circa Christum, ut in propria specie existentem: neque ut materia, ex qua, neque ut materia, circa quam aliquid fit, quia sumptio non versatur circa Christum, ut existentem in propria specie, ut per se notum est: quia solum potest Christus sumi, ut est sub speciebus. Idque est de fractione, quae proximè fit tantum in speciebus, solumque per denominationem attribuitur corpori Christi sub illis existenti. Rursus, idem est de oblatione externa, siue per vocem, siue per aliam actionem sensibilem fiat: ut per eleuationem in altari, vel aliquid huiusmodi, quia semper haec oblatio fit de re praesenti, quatenus sensibus subest: Christus autem, ut existens in propria specie, est longe distans, & veluti insensibilis nobis: & ideo non est apta materia huius oblationis. Tandem neque consecratio versatur hoc modo circa Christum, ut in propria specie existentem: quia, ut supra vidimus de transubstantiatione tractando, consecratio non est actio, quae Christum aliunde adducat, ut sub speciebus illum constituat, sed per se ac substantialiter illum ponit sub speciebus: ergo actio, quae ibi interuenit, nullo modo versatur circa Christum, ut in propria specie existentem. Et confirmatur ac declaratur, quia Christus, ut in propria specie existens, non est materia huius actionis, ut terminus, a quo: nam huiusmodi materia est substantia panis & vini: nec etiam est materia, ut subiectum, ex quo fiat talis actio, quia, ut supra ostendimus, illa actio non fit ex subiecto, propter quod supra etiam diximus, existentiam Christi in propria specie per se & intrinsece non esse necessariam ad huiusmodi actionem, quod etiam est euidentis signum, Christum sub ea ratione non esse materiam huius actionis: & ideo sub ea ratione non esse materiam sacrificij, cuius materia positus est.

Chrysostomus Beda.

1. Cor. 10.

Andreas Apostol. Hyppol.

Greg. Niss. Euseb. Emis. Greg. Magn. Ambros. Theoph. Theodor. August.

Christus, ut in propria specie existens. Denique ratio generalis esse potest, quia materia, quae ad sacrificium sensibile supponitur, debet esse sensibilis, & in altari sensibili: ita enim feruarum videmus in omnibus alijs sacrificijs, quia hic est modus conaturalis homini, utenti sensibus, & exercenti actiones sensibiles: Christus autem existens in propria specie, nec est praesens in altari sensibili, nec nobis est naturaliter sensibilis: ergo, ut sic, non est materia huius oblationis, atque adeo, nec res oblata villo modo in hoc sacrificio. Et reuera hoc satis confirmat intentio omnium offerentium: nullus enim est, qui intendat Christum offerre, prout in caelo existit, sed prout in altari ponitur.

Dico tertio, Christus ut existens sub speciebus sacramentalibus, est res oblata in hoc sacrificio, ut terminus sacrificiationis, non proprie ut materia, quae actioni sacrificandi supponatur. Prima pars sequitur necessario ex dictis, quia Christus est res oblata, & non ut materia: ergo salte ut terminus, & non ut existit modo naturali, ergo ut existens sub speciebus modo sacramentali. Item probatur, quia Christus est res oblata in hoc sacrificio, ut consecratur per actionem transubstantiationis, sed ut sic, est terminus, ad quem talis actionis, & per illam habet esse sub speciebus sacramentalibus: ergo. Posterior autem pars probatur, supponendo actionem, qua perficitur hoc sacrificium esse consecrationem vel solam, vel potissimam, ut infra probabitur. Vnde sic potest ratio colligi: nam materia huius sacrificij debet praesupponi actioni sacrificandi, ut patet in ceteris omnibus sacrificijs: ergo debet supponi consecrationi, quia consecratio est actio sacrificandi: sed Christus ut sacramentaliter existens, non supponitur consecrationi, ut per se notum est: ergo nec est materia huius sacrificij.

Dico quarto: Species sacramentales panis & vini intrinsece pertinent ad rem oblatam in hoc sacrificio, ita ut huiusmodi res oblata per modum termini, non sit tantum Christus nudo sumptus, sed simul cum speciebus, seu quatenus cum ipsis vnum copositum sacramentale constituit. Iuxta hanc conclusionem intellegendam existimo verba Conc. Trident. sess. 22. c. 1. dicentis. Christus Dominus noster in nocte cena, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinquere sacrificium, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & Sacerdotibus, ut offerrent, praecipit. & infra: Nouum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum. Ex quib. verbis hanc rationem conficimus: de ratione visibilis sacrificij est, ut res, quae offertur, sit visibilis: sed hoc sacrificium est visibile: ergo res oblata est etiam visibilis: ergo, quae offertur, non est tantum Christus, ut habens sacramentale existendi modum: nam, ut sic, inuisibilis est: ergo, ut per species, est hostia aliquo modo visibilis, & a nobis contrahari, & participari potest: ergo ipse species intrinsece pertinent ad hanc rem oblatam. Secunda ratio ex eisdem verbis sumpta est, quia Christus instituit, & obtulit hoc sacrificium, ut summus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ergo obtulit aliquo modo panem & vinum, non solum ut materia, sed etiam ut terminum oblationis: tale enim fuit sacrificium Melchisedech, ergo Christus est res oblata in hoc sacrificio, quatenus est panis vitae, quae habet, ut existit sub speciebus panis, & cum illis constituit vnum visibile cibum. Et ita exponi possunt Patres, dicentes, obtulisse panem: id est, seipsum, quia ipse de se dicit: Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Vnde August. in capite Hoc est, de consecratione, distinctione secunda. Hoc est (inquit) quod dicimus, hoc est, quod modis omnibus probare contedimus, sacrificium Ecclesiae duobus confici, duobus constare, visibili sacramentorum specie, & inuisibili

Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Vbi manifeste sacrificium pro re oblata sumitur, idemque colligi potest ex eodem Augustino 17. de Civitate, c. 6. & Cyprian. epist. 3. Tertia ratio sit, quia hostia in hoc sacrificio oblata credit in vsum fidelium, tanquam verus cibis, & admirabile sacramentum: sed sacramentum hoc intrinsece includit species sensibiles, simul cum corpore & sanguine Christi, ut in superioribus probatum est: ergo idem est dicendum de hostia oblata in hoc sacrificio. Denique consecratio, quatenus est aliquo modo sacramentalis & sensibilis, non terminatur ad solum Christum secundum se, sed etiam ad species, seu ad sacramentale copositum: ergo totum hoc est res oblata in hoc sacrificio, tanquam terminus actionis sacrificandi, quae vel omnino, vel praecipue in consecratione consistit.

Sed contra: nam sequitur hoc sacrificium non esse idem in re oblata cum sacrificio crucis, quia ibi fuit solus Christus: hic autem dicitur esse compositum ex Christo & speciebus. Item sequitur, principaliter offerri accidentia, quae corpus Christi, quia licet Christus sit res nobilior, tamen in ratione signi sensibilis excedunt species, propter quod supra diximus, rationem sacramenti primario illis conuenire: ergo idem est de sacrificio: nam sacrificium signum sensibile est, sicut sacramentum. Item sequitur, sub speciebus panis tantum offerri corpus & sub speciebus vini solum sanguinem, & consequenter hic non offerri, vel animam, vel alia, quae in Christo sunt: atque adeo, nec totum Christum, quod est absurdum. Sequela patet, quia solum corpus & sanguis conficitur ex vi verborum, & significatur ex vi sensibilibus specierum. Ad primum negatur sequela: nam sicut substantiale individuum idem est, quamuis diuersis temporibus diuersis accidentibus sit affectum: ita in praesente res oblata in utroque sacrificio, eadem simplicitate est: quia substantiale est eadem: quod autem in hoc sacrificio sit nouis accidentibus coniuncta, non tollit unitatem simpliciter rei oblatae: sed indicat diuersum offerendi modum. Ad secundum negatur etiam sequela: quia Christus est, qui principaliter consecratur in Dei honorem: species vero comparantur ad ipsum ut accidentia ad substantiam: sicut in sacrificio agni Paschalis: verbi gratia, agnus secundum substantiam principaliter offerrebat, quamuis necessarium omnino esset, illum esse suis accidentibus affectum, ut esset res apta ad humanum sacrificium. Quapropter non est eadem ratio de sacramento ut sic, & de sacrificio, quoad rem oblatam: nam sacramentum dicit formaliter rationem signi: at vero in sacrificio significatio potissimum est in ratione sacrificandi: hostia vero, seu res oblata, principaliter est res ipsa, quae offertur, in qua magis consideranda est dignitas & valor, quam accidentia sensibilia. Ad tertium negatur etiam sequela: sed dicendum simpliciter est, totum Christum hic offerri, sicut & in cruce oblatum fuit: diuerso tamen modo seu ordine: nam ibi materia oblationis fuit totus Christus, ut viuens vita humana: oblatio autem terminata fuit ad amissionem illius vitae, & dissolutionem humanitatis. Vnde fit, ut terminus illius oblationis fuerit cadaver Christi, & sanguis eius effusus, & anima separata: at vero in praesenti, Christus est res oblata, ut terminus oblationis, non per separationem realem vnius partis ab alia, sed per mysticam tantum, quae in hoc consistit, quod per diuersas formas consecratur corpus & sanguis ex vi verborum, & tamen ipsa totus Christus consecratur per quamlibet formam, & ita etiam totus offertur. Quamuis enim possit sub distinctione dici, sicut consecratur aliud ex vi verborum, & aliquid per concomitantiam, ita etiam sacrificari: nihilominus absolute dicendum est, offerri totum Christum: quia intentio offerentis est totum offerre: & efficacia verborum ad totum se extendit quamuis expresse non totum significet.



Panis & vinum offeruntur ut materia ex qua Eucharistia conficitur.

Dico ultimo, panis & vinum offeruntur in hoc sacrificio etiam tanquam materia, ex qua sacrificium conficitur. Declaratur ac probatur, in pane enim & vino duo possunt considerari: substantia, scilicet & accidentia; substantia dici potest materia ex qua trahitur: nam destruitur in ipsa effectione sacrificij; accidentia vero manent in re, quae offertur: sicut in omni fere sacrificio materia, quae sacrificiationi supponitur, partim destruitur, scilicet, quoad totum; partim manet, ut pote quoad materiam. Est autem differentia: quia in alijs sacrificijs immutatio est naturalis: & ideo dissolvitur totum, & quod manet, est vere materia, uti subiectum sub vtroque termino: hic vero transmutatio est alterius ordinis, & per eam destruitur tota substantia: unde id, quod manet, non est subiectum, sed quasi forma sensibilis, in se continens vtrumque terminum. Iam ergo probatur conclusio: quia constat ex dictis, & ex locutionibus Ecclesiae & Sanctorum, panem & vinum hic aliquo modo offerri: sed non offeruntur tantum, quoad accidentia, sed etiam quoad substantiam: ergo quoad vtrumque pertinent ad rem oblatam: sed secundum substantiam non sunt res oblatae, tanquam manens in termino sacrificiationis: ergo ut materia transiens: Deinde: hoc modo sunt materia consecrationis, per quam transmutantur, & eorum accidentia suo modo sacrificantur: totumque hoc fit in Dei honorem & cultum: ergo pertinent aliquo modo ad materiam sacrificij. Tandem, in omni sacrificio, in quo aliqua res destruitur in honorem Dei, est aliqua res oblatam per modum materiae sensibilis, circa quam actio sacrificandi versatur, quae per eandem actionem aliquo modo transmutatur: ergo similis materia reperitur etiam in hoc sacrificio: haec autem non est alia, nisi panis & vinum: ergo.

Oppositi rationum dilutio.

Ad argumenta in principio posita patet responsio fere ex vitima conclusione. Fatemur enim non solum Christum esse rem oblatam, sed aliquo etiam modo panem & vinum. Neque inde fit, esse duo sacrificia, quia illae duae res concurrunt, ut termini, à quo, & ad quem eiusdem sacrificiationis, qua panis conuertitur in corpus Christi, per cuius praesentiam species sanctificantur. Est autem hic pro his, quae inferius dicemus, valde notanda differentia inter hoc sacrificium, & alia antiqua: nam in illis materia sacrificij erat res principalis oblata, cuius destructio erat etiam praecipue intenta in cultum Dei: hic vero, non materia, sed terminus sacrificiationis est res praecipue oblata: & destructio materiae non est tam per se intenta, sicut effectio termini, ad quem tendit actio, nam desitio panis, tantum est quasi via ad introductionem corporis Christi. Ratio autem huius differentiae sumenda est, tum ex dignitate ipsius rei, tum ex modo actionis tendentis magis ad efficiendum, quam ad destruendum, tum ex intentione offerentis: ex quibus omnibus constat, terminum consecrationis hic principalis offerri, quamvis etiam materia suo modo offeratur, & vtrumque significatum est in Can. 32. Trulano, dicente: In sacrificio nihil plus, quam corpus & sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mistum: qui Can. sumptus ex Concil. Carthag. III. c. 4. ubi additur, Neque amplius in sacrificijs offertur, quam de vis & frumentis: vtrumque ergo ibi coniungitur: nam corpus & sanguis offeruntur, ut terminus, in quem panis & vinum conuertuntur: panis autem & vinum, ut materia, ex qua corpus & sanguis conficiuntur.

In veteribus sacrificijs, materia ex qua, erat, quae principaliter offerebatur, in Eucha. ista terminus ad quem Concil. Carthagin. III.

SECTIO II.

Quibus actionibus perfecit Christus Dominus hoc sacrificium in nocte cena.

Deiuri de essentiali actione, in qua hoc sacrificium consistit: à sacrificio Christi, quod exemplar est

nostri sacrificij, initium sumimus; quoniam ve eleganter dixit Cyrillus, epist. 63. Si Iesus Christus Dominus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, & primus se ipsum in sacrificium obtulit, & hoc fieri in sui commemoratione praecipit, utique ille sacerdos vice Christi bene fungitur, qui id, quod Christus fecit imitatur: & sacrificium verum ac plenum tum offert in Ecclesia, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum viderit, obtulisse. Itaque essentialis actio huius sacrificij, ex factis & verbis Christi, iuxta Ecclesiam sensum & traditionem intellectus colligenda est: nam tota haec essentia ex institutione pedit: institutio autem tunc facta est, cum Christus sacrificavit, & dixit, Hoc facite. Est autem ulterius considerandum, sex potissimum actiones fieri nunc in Missa, de quibus dubitarum est, in qua, vel in quibus eorum, essentialis huius sacrificij consistat: quia omnes videntur ad munus sacrificandi accommodatae: & ideo de illis sigillatim dicendum est: quas earum Christus exercevit in nocte cenae. Prima est oblatio panis & vini, quae per elevationem hostiae & calicis, cum vocali oratione, & aliquibus caeremonijs ante consecrationem fit: & de hac nihil in Evangelio legitur. Aliqui autem existimant Christum, loquendo ad Patrem, fuisse vltimum verbo offerendi aut sacrificandi: quia hoc post se fuisse exitimant ad rationem sacrificij, siue ante, siue post consecrationem factum fuerit: imo putant, hoc insinuari ab Evangelistis in illis verbis, Gracias agens, benedixit. Sed hoc, sicut non potest evidenter improbari, quia fortasse ita factum est, nulla est enim repugnancia: ita non potest cum probabili fundamento affirmari: quia per Ecclesiam nihil de hac re nobis traditum est: nam, licet utatur in Missa illis verbis & caeremonijs, tamen nec significat, Christum hac fecisse, aut dixisse: neque ipsa semper eis vsa est, neque in omnibus. Liturgijs eodem modo habentur. Imo supra, tractantes de forma sacramenti, ostendimus, in primaeva Ecclesia consecrationem fieri solitam sine huiusmodi caeremonijs, paucis orationibus additis. Rursus ex Evangelio nihil colligi potest: quia illa verba longe alium habent sensum, ut in superioribus vidimus: neque vllus sanctorum Patrum ita illa exposuit, aut mentionem fecit huiusmodi caeremoniae à Christo observatae, cum talium verborum prolatione. Praeterea ex ratione sacrificij id colligi non potest: quia ut supra dicebam, licet opere ipso offerre, sit de ratione sacrificij, tamé quasi in actu signato exprimeret oblationem per verbum offerendi, non est necessarium, nec talis necessitas potest exemplo aut ratione monstrari: nam in veterib. sacrificijs non legitur dici fuisse solita huiusmodi verba: neque Christus in cruce offerens, tale verbum protulit: nam, si aliquid huiusmodi fingi potest, maxime illud, In manus tuas Domine, comendo Spiritum meum: hoc autem magis sibi deprecantis, quam offerentis. Ratio etiam nulla afferri potest, quia, ut aliqui visibilem honorem alteri deferat: non oportet, ut verbis proferat: ego te honoro, sed satis est, quod actione sensibili signum honoris exhibeat cum intentione honorandi: ergo similiter ad sacrificium offerendum non est necesse, voce proferre, offero, aut, sacrificio, sed satis est exercere actionem sacrificandi cum intentione cultus: ergo ex ratione sacrificij colligi non potest, Christum illa verba protulisse. Praeterea, de tempore post consecrationem ex contextu Evangelico colligi potest, Christum non dixisse huiusmodi verba: sic enim habetur, Accipit panem deditque discipulis, dicens: Hoc est corpus meum: statim ergo post consecrationem distribuit, neque vllam aliam oblationem interposuit. Ante consecrationem vero exhibuit illa signa reverentiae diuinam gratias agendo, & benedicendo panem, quem in manus accepit: quo adubraste videtur illam praeviam obligationem, quam Ecclesia exerceret: non tamen proprie illam exercuit neque verbu offerendi protulit, de quo nobis constare possit. Inter considerandum vero protulit illa verba, Qui pro vobis

pro vobis datur, aut, frangitur, vel, effunditur. Qui-
bus verbis potest mystica oblatio significari. Sed quam-
vis admittamus hunc probabilem sensum, tamen ob-
latio illis verbis significata, non est aliquid ab ipsa co-
secratione diuersum: quia corpus Christi pro nobis
dari, vel frangi in hoc sensu, nihil aliud est, quam pro
nobis consecrari, sacrificari, aut in cibum preparari:
& similiter, sanguinem Christi mystice effundi, nihil
est aliud, quam separatim a corpore ex vi verborum
consecrari. Itaque de hac prima actione vel oblatione,
quae consecrationem antecedit, simpliciter negan-
dum est, Christum per illam sacrificari.

Secunda actio, est consecratio corporis & sangui-
nis; & de hac satis expressum est in Euangelio, Chri-
stum eam perfecisse illis verbis, Hoc est corpus meum;
Hic est sanguis meus: unde probabiliter credimus
per illam sacrificasse, vt infra videbimus: certum aut
videtur, saltem in illa actione sacrificium inchoasse.

Tertia actio, quae in Euangelio expressae etiam le-
gitur, est dispensatio, seu distributio sacramenti con-
secrati, quae patet ex illis verbis, Deditque discipulis suis,
dicens: Accipite & comedite: de hac vero etiam est
certum, non pertinuisse ad rationem sacrificij, sed fu-
isse quid consequens, non vt necessarium pertinens
ad rationem sacrificij, sed tanquam actus vltimus, ad
quem sacrificium ordinatur, vt euidentius constabit
sektione sequente.

Quarto fit nunc in Missa alia oblatio post consecra-
tionem illis verbis, Vnde & memores, Dne: nos serui
tui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi filij rui Dni
nostri, offerimus praeclearae Maiestati tuae hostiam pur-
am, & castam. De hac vero actione idem dicendum est,
quod de prima, vt ex rationibus ibi factis satis constat.

Quinto post consecrationem frangitur nunc in
Missa hostia consecrata, & particula eius miscetur
sanguini; quae actio sine dubio fit propter mysticam
significationem. Quocirca sub ea ratione constat,
Christum huiusmodi actionem non exercuisse, nec
per illam sacrificasse: nam in primis de missione nul-
la mentio fit in Euangelio. Quamuis enim Christus
intinctum panem Iude potrexerit, tamen nec ille pa-
nem consecratus erat, neque in vino intinctus fuit, sed
iure aliquo, vt in superioribus visum est. Deinde, qua-
uis legamus, Christum fregisse panem, tamen, & du-
bium est, an illa fractio antecesserit consecrationem,
vel subsequuta fuerit: ac fortasse probabilius est, ante-
cessisse: & praeterea, quicquid de hoc fit, constat, non
fuisse mysticam, sed vtualem, vt sentit August. ep. 59.
ad Paulinam, quaest. 5. quia Christus non fregit pa-
nem, nisi vt distribueret discipulis, vt patet ex illis
verbis, Fregit, deditque discipulis suis: vnde expo-
sitores colligunt in tot particulas panem diuidisse, quot
erant ad communicandum discipulos necessarii: sic-
ut etiam de calice dixit: Accipite, & diuidite inter vos:
nulla est ergo ibi significatio mystica. Atque in hunc
modum hoc factum Christi interpretantur omnes
antiqui Patres, apud quos nulla est mentio mysticae
fractionis, aut missionis a Christo factae.

Sexta & vltima actio Sacerdotis in Missa est sum-
ptio vtriusque speciei consecratae. De qua magna du-
bitatio est, an Christus in cena seipsum communi-
cauerit. In qua haeretici huius temporis, vt consue-
tudinem Ecclesiae improbant, negant, Christum se-
ipsum communicasse: quia, quod Scriptura non af-
firmat, nos Christo tribuere non debemus: praeter-
tim, quia videtur indecens, quod Christus se com-
municauerit sacramentaliter, cum spiritualiter com-
municare non posset: quia non erat capax effectus
sacramenti, cum in gratia crescere non posset. Nihi-
lominus communior & probabilior sententia est,
Christum hanc actionem in cena exercuisse com-
municando. Ita tenet D. Thomas supra q. 91. artic. 1.
vbi eius fundamenta expendimus ac declarauimus.
Idem tenet Alenf. 4. p. q. 44. memb. 1. & 2. Bonauent.
in 4. dist. 9. ar. 1. q. 4. Richard. dist. 11. artic. 4. q. 1.

Albert. Mag. d. 12. arti. 15. Gabr. lect. 37. in Can. & alij
recentiores. Et praeter testimonia, quae D. Thom. ci-
tato loco attulit, probari hoc potest ex illis verbis Lu-
cae 22. Desiderio desiderauit hoc pascha manducare
vobiscum, & c. quae verba non solum de veteri & le-
gali paschate, sed de nouo etiam & mystico intellexit
Diuus Thomas cum Eusebio Emif. in Caten. Lucae.
22. Tertullia. lib. 4. contra Marcion. cap. 49. & signifi-
cat Hierony. Matth. 19. manducauit ergo Christus
nouum Pascha, quod est corpus suum, cum discipulis
suis. Bibisse autem sanguinem probabiliter etiam
colligitur ex sequentibus verbis eiusdem Lucae, Non
bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veni-
at: nam, licet a Luca haec verba referantur ante con-
secrationem, videtur tamen id factum esse per anti-
cipationem: nam Matthaeus & Marcus post consecra-
tionem illa referunt, & ita intellexit August. lib. 3. de
consens. Euang. c. 1. & Chrysof. Hom. 83. in Matthaeum,
qui addit coniecturam, quam D. Thom. etiam supra
indicaui, dicens: Ipse quoque bibit ex eo, ne, auditis
illis verbis, diceret: Quid? ergo sanguinem bibimus,
& carnem comedimus? & perturbarentur: ne igitur
hoc accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo a-
nimo ad communicationem mysteriorum induceret.
Idem tenet Euthym. in Lucam, dicens: Si poculum
accepit, vtiq; & panem: & Theophyl. Matth. 26. Po-
test etiam citari Dionys. c. 3. de Ecclesiastica
dicens: Author ipse signorum, eum, qui secum non pie,
neq; concorditer sacra concelebrauit, & c. De quo te-
stimonio plura diximus circa initium huius matre-
riae: citatur etiam Augustinus, concione 1. Psal. 33. sed
is dicit quidem, Christum se gessisse in manibus, sed
non dicit, se ipsam comedisse. Aliud etiam Hierony-
mi testimonium, quod solet ad hanc rem afferri, tra-
ctatum, & explicatum est supra, dicta q. 81. in Comem-
articuli primi. Ratio seu congruentia pro hac senten-
tia iam est a Chrysofomo & Diuo Thoma exposta.
Et alia congruentia addi potest, sumpta ex ratione
coniuuij: decet enim, vt is, qui alios inuitat, cum eis
simul comedat, & bibat. Item, quia ad dignitatem
huius sacramenti pertinet, vt Christus Dominus illo
vltimus fuerit. Neq; est vlla probabilis coniectura, ob qua
credibile fiat, abstinuisse tunc Christum ab huiusmo-
di cibo, & potu. Quod enim de sumptione spirituali
vel sacramentali dicebatur, magis pertinet ad modum
loquendi, quam ad rem: nam in re constat, Christum
Dnm summa cum sanctitate, dignitate, ac decencia po-
tuisse corpus suum & sanguinem manducare, no pro-
pter effectum, sed propter mysterium & exemplum.

An vero dicenda sit illa manducatio sacramenta-
lis, an spiritualis, varie loquuntur authores, Alenfis
& Bonauent. quos sequitur Palacius in 4. dist. 9. di-
sp. 1. & 2. dicunt, fuisse sacramentalem, & non spi-
ritualem, quia effectu caruit. Alij e contrario dicunt,
Christum manducasse spiritualiter, quia magna deu-
otione & amore sacramentum accepit: non tamen
sacramentaliter, quia respectu illius non erat my-
steriosa illa sumptio: quia nullum eius mysterium
eum latebat. D. Thom. autem dicit, sacramentaliter,
& spiritualiter manducasse. Qui modus loquendi
mihi magis placet: nam ad sacramentalem mandu-
cationem non est necesse ignorare mysteria in tali
sacramento contenta: nec propterea sumptio non
est mysteriosa, quia sumens intelligit sacramenta,
quae ibi representantur: sed potius hoc ipsum suppo-
nit, quod in tali actione sensibilibus altiora signifi-
cantur mysteria, quae ab eo percipi possunt, qui perfe-
ctam habet spiritualem intelligentiam. Vnde, sicut
vox non definit esse signum, eo quod alius eius signi-
ficationem intelligat: ita nec sacramentum definit
esse sacramentum, eo quod sumens omnem eius si-
gnificationem comprehendat. Neque igitur sum-
ptio definit esse sacramentalis propter mysteriorum
cognitionem: sed facta est, quod ipsum sacramen-
tum vere ac realiter manducetur cum intentione su-
mendi:

Confessio
corporis &
sanguinis
Christi.

Oblatio post
consecratio-
nem.

Hostia fra-
ctio & mi-
xtio cum san-
guine vini.

Augustinus.

Sacramen-
tum speciei
vinae & sum-
ptio.

Christus
sum Domini
cum vino
comunicat.
D. Thom.
Alenf.
Bonauent.
Richard.

Albert. Mag.
Gabriel.
Luc. 22.

Euseb. Emif.
Tertullian.
Hieronym.

Augustinus.
Chrysofom.

Euthym.
Theophyl.

Dubium:
Alenf.
Bonauent.
Palac.

D. Thom.
sacramen-
taliter &
spiritualiter
Christus pro
prium cor-
pus mandu-
cauit.

mendi: vt autem talis sumptio simul spiritualis dicenda sit, satis est, quod digne & sancte fiat: quicquid n. in Spiritu S. fit, recte dicitur spiritualiter fieri: Christi autem sumptio fuit dignissima, & sanctissima, & cū perfecta spirituali dispositione, tum habituali, tum ad illi. Quod autem ex tali sumptione non sit effectus gratiæ sacramentalis, fuit per accidens, eo quod subiectum erat summe gratum, & habebat gratiam in supremo gradu, vltra quæ augeri non poterat: talis autem carètia effectus non impedit spirituales sumptionem, sed solum, quando prouenit ex alio obice, seu indignitate subiecti. Supposito autem, Christum Dominum sumpsisse suum corpus & sanguinem, adhuc superest difficultas, an illa actio pertinuerit intrinsece ad rationem sacrificij, an vero fuerit quid posterius, seu veluti quædam participatio hostiæ iam sacrificatæ: nam cū Euangelistæ debuerint satis clare & expresse referre, quicquid ad essentiam huius sacrificij pertinet: & de hac sumptione non ita aperte loquantur, videntur certe supponere, illam non pertinuisse ad essentiam sacrificij. Aliunde autem videtur, si Christus se communiuit sacrificium consummaret. De hac igitur re, quid sentiendum sit, dicemus commodius in sequentibus.

SECTIO III.

Vtrum oblatio vocalis, fractio, aut distributio Eucharistiæ sint partes huius sacrificij.

Incipimus iam nostri sacrificij essentiam inquirere, discurrendo per sex actiones supra enumeratas. Et primo dicendum est de oblatione, quæ antecedit consecrationem, quam Soto loco infra citando cum aliis inuoluere, & confundere videtur, significas, pertinere aliquo modo ad substantiam huius sacrificij: & nonnulli eam vocant partem integram sacrificij: quauis non audeant dicere, esse de essentia. Dico tamen, hanc oblationem nullo modo pertinere ad substantiam huius sacrificij, neq; vt essentialem partem, neq; vt integram: sed tantum esse ceremonialem quandam præparationem ab Ecclesia institutam ad conciliandam deuotionem, & reuerentiam, animosque fidelium excitandos ad mysterium ipsum peragendum. Ita sentire videntur omnes, qui de hac materia scribunt: sed inter alios bene hoc explicuit Alan. lib. 3. de sacrific. 18. Et probatur primo ex dictis: nam Christus Dominus obtulit hoc sacrificium perfectum, & quoad omnes partes essentiales, substantiales, & integrales eius: & tamen nullam huiusmodi oblationem præmisit ante consecrationem: ergo illa nullo modo est pars sacrificij. Secundo, quia offensum etiam est, illam ceremoniam non semper fuisse ab Ecclesia obseruatam: cum tamen ex his, quæ sunt de substantia vel integritate sacrificij, nihil vnquam præmissum sit. Tertio, quia Ecclesia statim post illam oblationem orat, dicens: Veni sanctificator, omnipotens, æternæ Deus, & benedic hoc sacrificij tuo sancto nomini præparatū: ergo satis significat, illam solum esse quandam præparationem materiæ ad futurum sacrificium, & quasi dedicationem illarum rerū sensibilium ad cultum Dei: ideoq; oblationem vocauit. Tandem, quia per illam oblationem nihil fit circa rem oblatam, præter quandam extrinsecam orationem: nam eleuatio, quæ fit à Sacerdote, aut consignatio crucis, & aliæ similes actiones, mere accidentales sunt: vnde, si cōtingat prætermitti, nihilominus, si postea rite fiat consecratio, sacrificium Missæ censetur perfectum, quoad substantiam, & essentiam suam: neq; in hoc videtur esse controuersia inter probatos auctores; neq; vlla probabilis dubitandi ratio.

Secundo dicendum est de oblatione, quæ post consecrationem subsequitur, de qua maior est dubitatio inter Catholicos. Quidam enim videntur in ea po-

nere totam essentiam huius sacrificij. Eckius lib. 3. de sacrific. Missæ, cap. 9. Clichtoua us lib. 2. cont. Luth. c. 16. Ruard. artic. 16. qui absolute, dicit prius, consecrationem esse sacrificionem: subdit vero posterius, consecrationem antecedere oblationem sacrificij, & sacrificij consistere in vfu Eucharistiæ consecratæ, qui fit per oblationem: vnde videtur prius sacrificionem vocasse effectiorem victimam sacrificandam. Alij vero sentiunt hanc oblationem esse de essentia, quauis non sit tota essentia sacrificij. Significat Scotus in 4. d. 13. q. 2. Gabr. q. 1. artic. 3. clarius Soto q. 2. art. 5. ubi dicit: sacrificium consistere in oblatione: postea vero requirit alias actiones, de quibus infr. Canoëtiam lib. 11. de locis, cap. 13. ad 4. inter quatuor actiones, quibus hoc sacrificium consistere dicit, vnam aut esse hanc oblationem: & quamuis distincte non explicet, an essentialis sit necne: tamen, cum absolute, & indifferenter eam cum alijs numeret, sentit, esse ita necessariam sicut sunt aliæ. Fundamentum esse potest, quia de essentia sacrificij est oblatio: nam est genus eius: sed hic non est alia oblatio, quæ possit esse de essentia huius sacrificij, præter hanc: nam illa, quæ antecedit consecrationem, neque est pars sacrificij, vt dictum est: nec verfatür circa propriam victimam huius sacrificij: quæ est Christus Dominus: quia nondum ibi existit. Rursus nec consecratio ipsa potest dici habere rationem oblationis, quia oblatio præsupponit offerendam: consecratio v. non supponit illam sed potius eam antecedit, saltem ordine nature: vnde Cōc. Trid. sess. 23. c. 1. & Can. 1. eas actiones distinguere videtur, & suo ordine numerare, dicens, Sacramentum datam esse potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi Eucharistiæ, & D. Th. q. 83. artic. 4. Offeritur (inquit) Eucharistia, vt sacrificium; consecratur & sumitur, vt sacramentum: sunt ergo hæ actiones diuersæ, & consecratio oblationem præcedit: ergo illa oblatio, quæ fit post consecrationem, est de essentia huius sacrificij. Dico tamen, tam certum videri, hanc oblationem non esse de essentia huius sacrificij, quam est certum, antecedentem oblationem non esse de essentia. Et in primis dicere, totam essentiam sacrificij in hac oblatione consistere, profus videtur improbabile, tum propter ea, quæ infra de consecratione dicemus: tum etiam, quia per illam oblationem nihil fit circa rem oblatam, sed est solum extrinsecam deprecationem, quæ non est propria sacrificij, sed fieri potest, & iterari sæpius supra rem oblatam, etiam post peractum sacrificium: sicut in lege veteri fiebant huiusmodi deprecationes circa res oblatas: & nos possumus hoc modo offerre Deo Christi passionem: & Christus in cælo hoc modo sese perpetuo offert Patri pro nobis, representando illi passionem suam, quæ pro nobis consummavit. Deinde, quæ talis oblatio, nec de essentia huius sacrificij fit, probatur ex dictis: quia Christus non adhibuit illam in nocte cœnæ. Item, quia non constat; semper Ecclesiam illam adhibuisse: vnde: licet sit antiqua cæremonia, non tamen est de institutione Christi, sed Ecclesiæ. Item, quia offendimus non esse de ratione sacrificij, vt sic, quod offerretur verbo explicet oblationem: sed quod opere illam exerceat ex intentione cultus: ergo, neque in presenti est fundamentum ad asserendum, illam verbalem oblationem esse de essentia: nam sufficere potest actio ipsa consecrandi: per illam namq; fit aliqua res maxime sacra in Dei cultū. Vnde Ambr. Plal. 39. Vidimus, inquit, Principem Sacerdotem ad nos venientem: vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum, nunquam aut audiuimus Christum offerentem pro nobis sanguinem suum, nisi quando dixit: Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur: hanc igitur consecrationem vocauit Ambr. oblationem. Vnde subdit apertius: Tunc ipse offertur in terris, quado corpus Christi offertur, & tunc ipse offerre manifestatur in nobis, quado sermo eius sanctificat sacrificium, quod offerimus; Cyprian. in festi.

Oblatio consecrationem præcedens, nullatenus est de essentia huius sacrificij.

Alanus.

Oblatio consecrationem præcedens, nullatenus est de essentia huius sacrificij.

D. Thom.

Præter illam oblationem, quæ fit à Sacerdote, aut consignatio crucis, & aliæ similes actiones, mere accidentales sunt: vnde, si cōtingat prætermitti, nihilominus, si postea rite fiat consecratio, sacrificium Missæ censetur perfectum, quoad substantiam, & essentiam suam: neq; in hoc videtur esse controuersia inter probatos auctores; neq; vlla probabilis dubitandi ratio.

Cyprian.

Gregor.

Conc. Trid.

Conc. Eph.

D. Thom.

Practio bo-
na in his
sacramen-
tis non
acciden-
talis in hoc
sacramen-
to habet.
D. Thom.

serm. de Cena Domini: Ex quo dictum est à Domino Hoc facite in meam commemorationem: Hoc est corpus meum: & hic est sanguis meus; quotiescunq; his verbis, & hac fide actum est, panis iste ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum existens. Sentit ergo, verbis illis fieri Christum holocaustum & offerri. Vnde Greg. 4. Dial. c. 56. consecrationem ipsam immolationem vocat, dum inquit: Quis fidelium habere id dubium possit, in qua immolationis hora ad sacerdotis vocem celos aperiri, Angelorum choros adesse? & c. hoc autem certum est dictum esse propter consecrationem; ipsa ergo consecrationem, immolationem vocat. Quia propter in ordinatione Sacerdotis, quamuis primario illi detur potestas consecrandi, nihilominus in ipsa forma Ordinationis solum exprimitur potestas offerendi, in quo satis indicatur, oblationem ipsa consecratione fieri; alioqui non satis vna potestas per aliam significaretur: ex quo etiam Conc. Trid. dict. c. & Can. 1. sess. 23. definit, illis verbis Christi; Hoc facite in meam commemorationem: datam esse sacerdoti potestatem offerendi: cum tamen potissimum data sit potestas consecrandi: igitur in ipsamet consecratione est intrinsece ratio oblationis inclusa: non est ergo, cuius alia oblatio vocalis fingatur esse de essentia huius sacrificij. Atque ita simul factum est fundamentum contrariae sententiae. Quod vero Concil. Trident. distincte numeret potestatem consecrandi, offerendi, & c. non arguit, hos actus re ipsa esse distinctos; sed positum est ad maiorem doctrinae claritatem: quia illa verba non sunt omnino synonyma: & absolute loquendo posset vna ratio ab altera separari, mutata institutione: & ideo ad vitandas opiniones expresse docere voluit Concilium, vtrumque conferri sacerdoti, quamuis re ipsa eadem actione fiat. Atq; eodem modo D. Thomas distinguit veluti rationes formales, non phycas actiones.

Tertio dicendum est de fractione, & missione. De quibus Cano loco supra citato dicit, esse de substantia huius sacrificij. Quae sententia fundari potest, quia illa actio fit in cultum Dei: est enim caeremonia sacra, & habet mysticam significationem; nam per fractionem significatur passio Christi: per missionem autem resurrectio. Vnde in Concil. Ephes. epist. ad Nestorium dicitur: in hoc sacrificio representari passionem & resurrectionem Domini: vtrumque autem horum per aliam actionem non fit: & alioqui haec actio ex suo genere est accommodata ad rationem sacrificij, quia per eam fit aliquid sacrum circa rem oblatam. Vnde D. Thomas 2. 2. q. 85. adhibens exempla actionum, quae sunt aptae ad sacrificium, numerat inter alia fractionem panis. Dico tamen, actionem hanc, neque ad essentiam, neque ad integritatem huius sacrificij pertinere, sed esse mere accidentalem. Quae est aperta sententia D. Tho. qu. 83. art. 6. ad 6. vbi dicit, si contingat, fractionem omitti, non propterea fieri imperfectum sacrificium: & idem sentiunt alij Doctores supra relati, & multi alij, quos sequentibus sectionibus referemus. Et sequitur etiam ex principijs positae sectione praecedente: nulla enim actio est de substantia huius sacrificij, quam Christus in cena non exercuit: sed ipse non fuit vltus fractione mystica, vt ostendimus, neque vltus missione: ergo. Item, quia substantia sacrificij eadem est in vniuersa Ecclesia, & in omni tempore, haec autem fractio, licet sit valde antiqua, vt patet ex Liturgia Iacobi, & Chrysoptomi, tamen in Liturgia Basilij nulla fit eius mentio, quod est signum, non fuisse vniuersalem, & consequenter, neque ex Christi institutione. Imo ex eisdem Liturgijs Iacobi, & Chrysoptomi constat, huiusmodi actionem non fuisse factam eodem modo apud omnes, cum tamen in his actionibus modus ipse multum ad substantiam pertinere videatur. Praeterea, aliquando potest tota haec caeremonia omitti, non solum absque mu-

tilatione sacrificij, sed etiam absque peccato: vt, si contingeret, vel ex naturali obliuione (si id accidere potest) vel ex ignorantia inuincibili, vt si quis existimaret, id licere propter diligentiam adhibendam, vt felicitius expediret ad communicandum aegrotum, vel denique si casu eueniret, vt hostia consecrata laberetur à manibus Sacerdotis, & caderet intra calicem; tunc enim non esset frangenda: quia fieri non posset, cum debita reuerentia sacramenti: ergo signum est, hanc actionem non esse simpliciter necessariam ad hoc sacrificium, & consequenter non esse de substantia eius. Denique ratio in contrarium facta, ad summum probat, potuisse actionem illam imponi à Christo Domino, vt esset de essentia sacrificij: non tamen probat, ita esse factam institutionem: cum neque à Christo ostendatur praeccepta, neque ad significandum imposita, sed vtrumque introductum sit ab Ecclesia ad maiorem reuerentiam sacramenti, & declarationem mysteriorum, quae in consecratione continentur: sicut adhibuit etiam ad eundem finem alias caeremonias, quas indubitatum est, non esse partes huius sacrificij. Quod vero Concilium Ephesinum dicit in hoc mysterio representari passionem & resurrectionem Christi: & ascensionem, & alia Christi mysteria, quae ibi enumerat, primo exponi potest, non esse intelligendum de hoc mysterio, quoad solam essentiam, vel substantiam eius, sed de tota Missa, prout includit omnes Ecclesiasticas caeremonias: vel, si ad solam substantiam sacrificij referatur, per se clarum est, passionem satis expresse in illo representari: consequenter vero, & quasi implicite dici possunt alia mysteria, resurrectionis, & ascensionis significari, vel quia à passione duxerunt originem, & in illa quodammodo virtute continentur: vel certe, quia, dum in Christi persona, & verbis eius, consecratio fit in memoriam & honorem ipsius, hoc ipso satis profitemur, & significamus ipsum viuere, & in caelis regnare.

Quarto dicendum est de distributione, seu dispensatione Eucharistiae. Circa quam haereticus huius temporis, licet non admittant: Eucharistiam esse sacrificium, docent tamen, huiusmodi actionem seu distributionem, esse de necessitate huius conuiuij seu cenae, ita vt contra diuinum praecceptum sit, conficere hoc sacramentum, & non distribuere. Et fundari possunt in verbis Christi: Hoc facite in meam commemorationem. Ex quibus duplex sumitur argumentum: primū, quia Christus consecrauit, & distribuit, & praecipit facere, quod ipse fecit: ergo vtrūque fieri voluit, quoties hoc sacramentum fit. Secundum est, quia Christi passio & memoria praecipue recolitur in vsu, iuxta illud 1. ad Cor. 11. Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Dni annunciabitis. Vnde Conc. Trid. sess. 13. c. 2. sic ait: Sacramentum hoc instituit & illius sumptione recolere nos sui memoriam praecipit: & Aug. cap. Cum frangitur (loquitur de fractione vsuali) & sanguis Dni in ora fidelium mittitur, Domini corporis immolatio, eiusque sanguinis effusio designatur. & 20. con. Faust. c. 18. Christiani (inquit) peracti eiusdem sacrificij (scilicet crucis) memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi: actio ergo representatiua passionis Christi includit vsu, seu comunionem fidelium: sed illa est actio sacrificatiua: ergo. Atq; hinc quidam etiam Catholici quamuis non dicant huiusmodi distributionem esse de necessitate huius sacrificij, dicunt tamen, quando fit, aliquo modo ad complementum sacrificij pertinere: quod indicat Soto supra, cū dicit: populum fidele sacrificio astantem, dum sacramentum sumit, per ipsam sumptionem suo gradu & ordine sacrificare: gauius Christi non representatur in consecratione, sed in consumptione: & Cano supra fere eodem modo loquitur de consumptione Sacerdotis, & de sumptione alio-

Haereticorum
placitum.

Cor. 11.

Soto.

Cano.

*Distributio
Eucharistia
inter fideles
sacrificio affi-
res nec ex iu-
re diuino sit
necessario, nec
si fiat ad sa-
crificium ul-
latenus spe-
ctat.
Con. Tri.
Durand.*

aliorum. Dico tamen, huiusmodi sacramenti distri-
butionem factam à Sacerdote inter fideles astantes,
neque esse iure diuino præceptam, quoties consecra-
tio fit: neque etiam, cum fit, pertinere vlllo modo ad
rationem, vel substantiam sacrificij. Prior pars supra
fatis probata est, disputat. 69. sect. 3. & definita est in
Conc. Trident. sess. 22. cap. 6. & Can. 8. & ne in re vul-
gari, & clara immoremur, plura de illa videri possunt
apud Durandum, dicto libro 2. de Ritibus Ecclesiast.
cap. 4. Posterior vero pars, quamuis non sit ita certa,
nam Conc. Trid. sess. 21. Can. 1. solum damnat eos, qui
dicunt, offerri hoc sacrificium nihil aliud esse, quam
nobis Christum ad manducandū dari, nihilominus
videtur mihi satis certa, & sequi ex priori: nam si quo
tidiana Ecclesiæ sacrificia integre ac perfecte fiunt sine
huiusmodi distributione: ergo omnino extrinseca
est ad substantiam vel perfectionem sacrificij. Dices
fortasse, hoc argumento solum concludi, hanc ac-
tionem nō ita pertinere ad perfectionem sacrificij,
vt sine illa sit mutilum, vel imperfectum sacrificium,
aut contra institutionem Christi: non vero concludi
cum adhibetur, non pertinere ad quādam maiorem
perfectionem seu integritatem, quasi extēsiuam. Res-
pondetur ex primo inferri secundum: nam, si Chris-
tus non instituit, aut præcepit, vt, cū Eucharistia sa-
crificetur, populo distribuatur, qua ratione dici po-
test, quando contingit, has actiones proxime coniū-
gi distributionem ipsam fieri partem sacrificij? Item,
sæpe etiam contingit, in Ecclesia Eucharistiam distri-
bui, & tunc non fieri sacrificium, vt quando ex præ-
consecratis ministratur: tuncque distributio non est
vlllo modo pars sacrificij, sed est mera dispensatio sa-
cramenti, quæ fieri etiam potest in memoriam Chri-
sti, ergo nunquam est hæc distributio pars sacrificij;
nam, quod tempore coniungantur, vel parum inter
se distent, non mutat rationem, significationem, aut
institutionem harum actionum. Præterea hoc confir-
mat vsus Ecclesiæ: frequenter n. non dispensatur
communio, donec omnino est peractum sacrificium
& populo discedēdi facultas data illis verbis [Ite Missa
est]: non ergo censet Ecclesia, & dispensationē sacra-
menti postea subsecutam, ad perfectionem sacrificij
vlllo modo pertinere. Deinde; tota actio sacrificandi
proxime fit à Sacerdote: sumptio autem sacramenti,
quatenus dicit vsum passiuum, communis est laicis:
quatenus vero dicit dispensationem actiuam, potest
per Diaconos proxime exerceri: nullo igitur modo
pertinet ad actionem sacrificandi. Tandem, in omni
sacrificio, participatio victimæ præsertim, quæ à po-
pulo fit, supponit sacrificium consummatum, nō autem
perficere illud, iuxta illud Prou. 9. Immolauit vic-
timas suas, posuit mensam suam; præcedit ergo im-
molatio, & inde conuiuium ex immolatis præpara-
tur. Vnde est illud 1. ad Cor. 10. Nonne, qui edunt ho-
stias, participes sunt altaris? & ideo 1. Corin. 5. Pascha
nostrum (dicitur) Christus immolatus. Ex quo etiam
Greg. Nyss. quem supra citauimus, orat. 1. de Resurr.
colligit, prius Christum se sacrificasse, quam discipulis
in cibum dederit. Et ita etiam intelligitur modus
loquendi Greg. 4. Dial. c. 58. dicentis: Pro nobis Chris-
tus in hoc mysterio immolatur: eius quippe corpus
sumitur: vis n. huius causalis in hoc posita est, quod
sumptio immolationem supponit. Neque existimo,
Doctores Catholicos aliquid contra veritatem hanc
docere potuisse: Nam, si aliquando dicunt, hanc dis-
pensationem pertinere ad perfectionem sacrificij, nō
intelligunt de perfectione quasi intrinseca, & consti-
tutiua sacrificij, sed de extrinseca, quæ est per modū
actionis transeuntis. Et similiter, quando fideles di-
cuntur offerre, non est intelligendum, quod per se of-
ferant, ratione communionis, quam recipiunt, sed qd
per sacerdotē offerant modo infra explicando. Quod
vero Soto ait passionem Christi non representari in
cōsecratione, sed in sumptione, improbabile est: pri-
us n. representatur in consecratione, vt dicemus la-

*Proverb. 9.
1. Cor. 10.
Greg. Nyss.
Greg. Mag.*

tius sectionibus sequentibus: Deinde vero etiam re-
presentatur in sumptione: vel quia vis consecratio-
nis quodammodo manet in re consecrata: id n. h. vt
quantum est ex vi verborum, corp⁹ separatim à san-
guine sumi possit, vel certe, quia per sumptionem
expressius representatur Christi sepultura: & conse-
quenter etiam mors. Ex quo obiter satis responsum
est ad fundamentum contrariæ sententiæ. De ver-
bis autem illis (Hoc facite) sæpius in superioribus di-
ctum est, signatim vero dicta disputatione sexagesi-
ma nona, sectione tertia.

SECTIO IV.

Verum consecratio sit de essentia huius sacrificij.

Prima sententia est, consecrationem esse quidem
aliquid præuium ad sacrificium: proprie tamen
neque esse de essentia, neque parte sacrificij: Quod
declaratur exemplo supra posito de Incarnatione,
quæ necessaria quidem fuit ad sacrificium Christi
cruentum, non tamen fuit pars eius, sed veluti præ-
paratio quædam rei offerendæ, seu materiæ sacrifi-
candæ: iuxta illud ad Hebr. 7. Corpus autem ad apta-
sti mihi: ita enim se habet consecratio ad sacrificium
incruentum, sicut se habuit Incarnatio ad cruentū:
nam, sicut Deus factus homo, in cruce oblatus est;
ita Christus factus panis vitæ, in altari offertur: sic
ergo ibi supponitur Incarnatio, ita hic consecratio:
non ergo est pars ipsius sacrificij. Et simile argumen-
tum sumi potest ex veteribus sacrificijs: verbi gratia,
agni Paschalis, productio enim agni necessaria erat
ad sacrificium, non vt pars eius, sed vt effectio rei sa-
crificandæ: sic enim comparatur consecratio ad hoc
sacrificium, seu ad rem in ipso offerendam. Et confir-
matur: nam in die Parasceues offertur verum sa-
crificium absque consecratione, quæ iam supponitur
antea facta; nam illa oblatio fit ex præconsecratis: ergo
signum est cōsecrationem solum requiri, vt quid
præuium: nam consecratio, quæ præcelsit, non po-
test esse pars præsentis sacrificij. Primum antecessens
patet ex oratione, quam Ecclesia in officio illius diei
profert: In spiritu humilitatis, & in animo contrito
suscipiamur à te Domine, & sic hæc sacrificium nostrū
in cōspectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus:
& postea dicit Sacerdos: Ora te fratres, vt meum &
vestrum sacrificium, &c: Et confirmari potest, quia
non est verisimile, Ecclesiam illo die omnino priuari
sacrificio, & oblatione ad Deum. Vnde Aug. ep. 116. c. 4. *Appl.*
2. generaliter & sine exceptione dicit: Omnibus die-
bus offertur Deo sacrificium in Ecclesia, & D. Th. *2. 2. q. 70. a. 2.*
ar. 2. ad 2. dicit, eo die offerri & consumi hostiam pri-
us consecratam, ne priuaretur Ecclesia fructu passionis
Christi, sentit ergo ibi fieri sacrificij oblationē; nam
fructus passionis Christi non applicatur Ecclesiæ per
mysterium Eucharistia, nisi vt sacrificium est: nā, vt
est sacramentum, solum prodest sumentis. Et confir-
matur secundo: nā si Dies Parasceues sit dies festus, te-
nentur fideles adesse Ecclesiastico officio: ergo signū
est, ibi offerri sacrificium, & dici Missam, quoad sub-
stantiam eius, quia fideles solum tenentur ad audi-
endum Missam in die festo: vnde, si illa non esset Missa,
non tenerentur illam audire. Confirmatur vitimo
nam in Conc. Laod. c. 49. & in VI. Synodo, Can. 52. sic
dicitur: In omnibus sanctæ Quadragesimæ ieiunij
diebus, præterquam Sabbatho, & Dominica & sancto
Annunciationis die hæc sacrum præsanctificato-
rum ministerium. Quibus verbis significatur, fuisse
Græcorum consuetudinē, vt in diebus ieiunij Qua-
dragesimalis consecratio nō fieret: sed quod hæret: ob-
latio ex præconsecratis non est aut verisimile, omni-
bus in diebus fuisse sacrificium prætermisum: ergo
consecratur fieri sacrificium absque consecratione. Vnde
& sacrum ministerij appellatur: quo nomine sa-
crificium significari solet. Et hanc sententiam sic ex-
positam

*En-
co-
con-
est
in.
D.
Cah-
sola
Can-
Ala-
Cass-
Tale-
Belle-*

liber 7.

Appl.

2. 2. q. 70. a. 2.

Can. Laod.

VI. Synod.

positam

positam tenet Ledefin. in 4. 1. p. q. 23. art. 7. citans Albert. d. 13. art. 24. Qui tamen ibi dicit, in die Parasceues fieri immolationem: mox subiungens, illo die non fieri immolationem in sacramento. Et Scot. Gabr. & Ruard. sect. præced. relati, videntur asserere consecrationem non esse essentialium sacrificio.

Dico tamen, consecrationem esse omnino intrinsecam, & essentialium huic sacrificio. Hanc existimo esse sententiam D. Thom. q. 83. art. 4. & eam indicat. Gabr. lect. 15. & 16. in Can. Soto, Cano, & Alan. citati sect. præcedente. Cassal. lib. 1. de sacrific. ca. 20. Tiletan. in Resp. ad Apolog. Illyric. cap. 15. Bellarm. lib. 1. de Miss. cap. vlt. & alij citandi sect. sequentibus. Ut autem hanc sententiam probemus, oportet aduertere, eam non posse conuinci pura ratione, ex sola rei natura desumpta (quicquid multi ex prædictis authoribus conentur) quia ratio sacrificij, vt sæpe dixi, ex institutione pendet: institutio autem multis modis fieri potuit: neque per se naturæ rei repugnabat, Christum instituere hoc sacrificium in aliqua actione consequente consecrationem: ipsam autem consecrationem solum requirere, vt effectum rei consecrandæ, & tãquam præparationem ad sacrificium, sicut præcedens opinio dicebat. Et similiter, sicut consumptio animalis per ignem in sacrificio aliquando instituta est: ita consumptio Eucharistia consecrata potuit in sacrificium institui, non vt est vltus sacramenti, sed vt est quædam immutatio rei sacra facta à ministro publico ritu solemnè in honorem Dei. Itaque nulla ratione negari potest, hoc fuisse possibile: quia in huiusmodi genere institutionis nulla potest repugnantiæ ostendi. At vero, loquendo de possibili, etiam videtur per se notum & certum, potuisse consecrationem institui, vt essentialiter sit actio sacrificandi, seu essentia eius: nam etiam hæc actio est maxime sacra, & aptissima ad præstandam Dei maiestatem & omnipotentiam, vt ex dicendis euidentius constabit. Cum igitur vtrumque horum possibile sit, quid iam sit factum, non ex sola ratione, sed institutione petendum est: quod autem talis fuerit Christi institutio, qualis à nobis in cõclusionè explicatur, probatur primo ex factò Christi, prout ab Euangelistis narratur. nam expresse solum dicit, consecrasset panem & vinum, & dedisse discipulis suis; & ex hoc solum colligimus cum Patribus, illum sacrificasse: ergo maxime ratione consecrationis: distributio enim non pertinet ad sacrificium, vt dixi: ergo consecratio est de essentia sacrificij. Neque enim est verisimile, Euangelistas prætermisisse actionem maxime essentialium huic sacrificio. Et confirmatur ex illis verbis, Hoc facite in meam cõmemorationem, quibus consecratio principaliter præcepta est: nam per illam Christi passio expressius representatur, dum corpus & sanguis ex vi verborum separatim consecrantur. Secundum argumentum sumimus ex sacerdotio legis nouæ, in quo præcipua potestas datur supra corpus Christi verum, ad consecrandum seu conficiendum illud: nam forma, quæ formaliter & essentialiter constituit Sacerdotem nouæ legis, est character sacerdotalis: hic autem character per se primo est potestas consecrandi, in qua fundatur alia potestas in corpus Christi mysticum. Atque ita Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 1. primum omnium dicit, datam esse Sacerdotibus potestatem consecrandi, quam in capite quarto dicit dari per impressum characterem: est ergo potestas consecrandi de essentia sacerdotis nouæ legis; ergo & consecratio ipsa erit de essentia sacrificij. Probatur consequentia, quia sacerdotium per se primo est propter sacrificium: ergo illa actio, ad quam per se primo datur sacerdotalis potestas, erit etiam primario de essentia seu ratione sacrificij. Dices hoc argumento solum probari, consecrationem necessario supponi ad sacrificium: ideoque datam esse sacerdoti potestatem consecrandi, quia data est potestas offerendi, quæ potestas in re-

Franc. Suarez. Tom. 3.

sunt vna: prout tamen ratione distingui possunt: potestas consecrandi dicitur prior ordine executionis: quia consecratio antecedere debet, & hoc sensu verum est, primo datam esse illam potestatem ad consecrandum: ordine autem intentionis, dicitur prior potestas offerendi: quia consecratio est propter oblationem: & ita in hoc genere erit oblatio prior consecratione. Sed contra, nam, si hoc verum esset: ergo, per se loquendo, non esset necessarium habere potestatem consecrandi eum; qui habet potestatem offerendi: cur enim non posset aliquis offerre ab alio consecrata? Etenim, si nunc potest oblatio fieri ex præconsecratis, potest vnus Sacerdos offerre hostiam ab alio consecratam: ergo similiter posset etiam aliquis non habens potestatem consecrandi offerre consecrata ab alio; sicut sacramentum Extreme vnctionis dari non potest, nisi ex oleo benedicto ab Episcopo; tamen, quia benedictio olei, non est pars essentialis aut intrinseca ipsius sacramenti, sed quædam conditio necessario præsupponenda ex parte materia: ideo potest sacerdos simplex habere potestatem conferendi illud sacramentum; licet non habeat potestatem benedicens oleum: quia potest vt i oleo ab Episcopo benedicto: & idem suo modo est in Confirmationis sacramento, cuius materia est Christum ab Episcopo consecratum: nec potest illa consecratio simplici sacerdoti committi: & tamen administratio ipsius sacramenti potest illi tribui, saltem ex Pontificis dispensatione: quia illa consecratio non est intrinseca pars sacramenti, sed conditio præsupposita. Sic igitur in præsentibus, si consecratio non est de essentia, sed præsupposita ad sacrificium, potest aliquis sacrificare præconsecratum ab alio; & tunc nõ posset reddi ratio, cur potestas offerendi non posset conuenire, vel committi ei, qui non habet potestatem consecrandi, verbi gratia, Diacono, cui interdum etiam committitur dispensatio huius sacramenti consecrati: solum quia dispensatio non includit intrinsece consecrationem, sed supponit eam: & ita potest illam supponere, vt ab alio factam.

Video, posse aliquem respondere, voluisse Christum illas duas potestates esse in re inseparabiliter coniunctas, & potestatem offerendi, vel intrinsece supponere ex Christi ordinatione, vel identice includere potestatem consecrandi in eodem supposito: & ideo non posse potestatem offerendi inesse, vel communicari ei, qui non habet potestatem consecrandi. Sed licet hoc verum sit, tamen hoc ipsum est probabilissimum signum, sicut potestas consecrandi & offerendi inseparabiliter coniunguntur in eodem supposito; ita vtramq; vnam & eandem in re esse: & quamuis ratione à nobis distinguantur hæc actiones, tamen in re ipsa, Christum consecratione offerri, & sacrificiatione ipsa consecrari: nam hinc etiam fit, vt vtraq; potestas simul, & vnico verbo, & influxu (vt sic dicam) conferatur. Tertio principaliter argumentari possumus ex testimonijs Patrum, qui consecrationem ipsam, oblationem seu immolationem vocant, vt ex Cypriano, Ambrosio & Gregorio retulimus in sectione præcedente: & plures afferam sectione sequente, ne fiat repetitio. Quarto possumus argumentari ex congruitate ipsius actionis: est enim consecrationis actio ad sacrificandum aptissima: nam, & est maxime sacra, & per eam fit aliquid maxime sacrum: scilicet, caro & sanguis Christi, quibus Deus maxime colitur: fitque admirabili modo in quo diuina omnipotentia, & sapientia maxime declaratur: vnde fit, vt per huiusmodi actionem, & eius vsum fiat quædam professio, & recognitio diuinæ omnipotentia, est ergo huiusmodi actio ad rationem sacrificij aptissima: cur ergo dubitabimus, hanc potissimum eleuasse & imposuisse Christum Dominum, vt esset nouæ legis sacrificium?

Quinto est optima coniectura: nam principale offerens in hoc sacrificio est Christus: ergo illa actio

Hh h h

maxi-

Eucharistia
consecratio
essentia
D. Thom.
Gabr.
Soto.
Cano.
Alanus.
Cassal.
Tiletan.
Bellarm.

Cm. Trid.

maxime est de essentia huius sacrificij, quæ potissimum fit in persona Christi: hæc autem est actio consecrandi: ergo. Primum antecedens infra late probandum est: prima vero consequentia per se nota videtur, quia in tantum Christus est principale offerens, in quantum in nomine eius, & in persona eius, actio sacrificandi exercetur. Secundo autem antecedens, præterquam quod est communis sententia Sanctorum: præsertim Ambrosii lib. 3. & 4. de sacram. probatur sufficienter ex verbis consecrationis, quæ in persona Christi proferuntur: quia non materialiter, sed formaliter dicuntur, ut supra vidimus: cætera vero fieri possunt à Sacerdote, vel in persona propria, vel ut à publico ministro Ecclesiæ: ut sunt sacramenti sumptio, & aliæ ceremoniæ, vel orationes. Sexto sumitur argumentum ex alijs actionibus: etenim, si consecratio excluditur ab essentiali ratione sacrificij, nulla remanet actio, in qua possit hæc essentia consistere, præter sumptionem sacramenti: quia omnes aliæ actiones, de quibus esse posset aliqua apparentia, vel dubitatio, exclusæ sunt: incredibile autem videtur, totam essentiam huius sacrificij in sola sumptione Sacerdotis positam esse. Primo quidem, quia consecratio est multo excellentior actio, & maiora continet mysteria. Secundo, quia sumptio magis pertinet ad vsum sacramenti, magisque videtur consistere in receptione, quam in actione ad offerendum accommodata. Tertio, quia alias, quoties Sacerdos aliquis communicaret, offerret, vel saltem posset offerre, si vellet ea intentione id facere: nam, quod fit indutus vestibus sacris, vel alias ceremonias adhibeat, vel omittat, non obstat, quominus sacrificium factum teneat, quamvis fortasse illicite fiat, cum illa omnia non sint de essentia: sicut, si verum est, sacrificium in consecratione consistere, quoties sacerdos consecrat, sacrificat, etiam si ex malitia id faciat sine vestibus, aut ceremonijs alijs. Et hoc eodem exemplo satis, probatur prima sequela, & ratio eius est manifesta: nam potestas offerendi est inseparabilis, & indelebilis à Sacerdote: ita ut, licet per Ecclesiam ligari possit, quoad vsum, non tamen potest radicitus auferri, quoad vim & facultatem: ergo, si alias sufficiens actio ad sacrificandum est sola sumptio sacramenti, à Sacerdote facta animo offerendi, nihil verat, quominus sacerdos, quoties communicat, possit habere hunc animum, & consequenter verum vsum talis potestatis: ac denique, quod verum sacrificium efficiat: quod tamen per se videtur satis absurdum. Quarto, quia hinc sequitur, sacrificium hoc in exteriori actione visibili non differre ab vso sacramenti, sed solum in intentione interna: vel ad summum, in conditione persone: scilicet, quod debet esse sacerdos, ut sumptio eius sit sacrificialis: tamen in ipso Sacerdote non poterunt distingui, nisi per intentionem internam: supponendo præcipue, quod ipsemet sumat veramque speciem, & non ab alio recipiat: hoc autem, & per se incongruum videtur: nam visibile sacrificium debuit etiam in ipso ritu externo, distingui aliquo modo ab vso sacramenti: & nulla etiam ratione suaderi, aut probari potest. Vltimo probatur nostra sententia ab inconueniente, nam, si consecratio non est de essentia sacrificij, sed solum quid præuium: & sacrificatio consistit solum in vso rei præconsecrate: inquiri, cur non possit consecratio fieri, etiam si sacrificatio subsecutura non sit? suppositis enim illis principijs, nulla sufficiens huius rei ratio dari potest: quia illa duo non sunt per se & essentialiter connexa, imo sacrificatio dicitur posse fieri sola, & separata à consecratione, quæ multo tempore antecessit: ergo pari ratione poterit consecratio fieri sola, & separata à sacrificiatione: facilius enim prius separatur à posteriori, quam è conuerso. Posset autem id fieri, vel propter sacrificiationem, longo post tempore futuram: ut, verbi gratia, possit sacrificatio publice & coram

populo fieri, si fortasse tunc non posset fieri comode consecratio: exemplum esse potest in die Parasceves: si, verbi gratia, in die Cœnæ oblitus esset sacerdos consecrare hostiam pro sequente die, tunc non posset consecrare Missa illius diei novam hostiam consecrare: non ut tunc sacrificaret iterum: sed pro die sequente, vel certe posset hoc fieri propter alios fines, ut, verbi gratia, propter communicandum aegrotum in periculo mortis existentem.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ negatur, consecrationem esse præparationem ad sacrificium, & non potius ipsam essentialiam actionem sacrificij, vel totam, vel præcipuam. Ad probationem autem responderetur ex dictis: Christum hic esse rem oblatam, non ut materiam, sed ut terminum sacrificiationis: & ideo non oportere, ut prius tempore, vel natura supponatur actioni sacrificandi, quare non est simile, quod de incarnatione asserbatur: tum quia Christus, ut homo viuit, sicut materia sacrificij, creatum etiam, quia idemmet fuit principale offerens, non ut Deus tantum, sed ut Deus homo, quomodo per incarnationem esse cepit: at vero in presenti Christus, ut principale offerens, supponitur ante consecrationem, quia non offert, ut est sub speciebus, sed ut in propria specie existit: offertur autem, ut est sub speciebus, non ut materia, sed ut terminus oblationis, ut dictum est.

In confirmatione petitur, quid dicendum sit de officio diei Parasceves: an in illo fiat verum sacrificium, hecne. Respondetur autem iuxta principium præpositum, illo die non offerri sacrificium proprium legis, & à Christo Domino institutum. Ita sentit D. Thom. art. 2. ad 2. ubi in argumento supponit illo die non offerri sacrificium, & rationem inquiri, cur in die Natalis Domini ter celebretur hoc sacramentum in Parasceve autem totaliter omittatur. In responsione autem non negat, quod assumptum fuerat, sed reddit rationem, cur in nocte Natiuitatis tres Missæ dicantur, scilicet propter tres Christi generationes, scilicet æternam, temporalem secundum carnem, & spirituales: in Parasceve autem significat, nullam Missam dici, seu non fieri sacrificium, in quo mystice representetur mors Christi: quia eo die realem mortem eius, seu sacrificium cruciatum: prout in simili die, rei ipsa gellum est. Vbi etiam animaduersione dignum est, D. Thom. asserere, ideo non fieri tunc consecrationem, ne fiat expressa, ac mystica representatio mortis Christi: supponit ergo, hanc representationem fieri in ipsa consecratione: & consequenter in illa maxime consistere mysticam sacrificiationem. Et idem sentiunt communiter Theologi de officio illius diei Parasceves, in 4. d. 13. vbi Richard. artic. 2. quaest. 1. eandem rationem tenuit: Palsan. ludan. q. 2. Maior dist. 12. q. 2. Gabr. lect. 14. in Can. Mon. Durand. in Rationali diuorum officiorum, lib. 2. c. 77. num. 34. seq. VValdeh. de sacram. c. 88. & 89. Raban. lib. de instit. Cleric. c. 67. vbi adducit figuram huius mysterij: nam in lege veteri eo die, quo semel in anno summus Sacerdos intrabat in sancta sanctorum, alij sacerdotes non sacrificabant. Vnde Hugo Hugo de sanct. Viet. lib. 3. miscell. cap. 43. Non sacrificati inquit amici, dum trucidant inimici. Et idem sentiunt Doctores Iuris Canonici, quos sequimur, & partim referunt, Nauar. in Sum. c. 25. num. 78. Couar. in cap. Alma mater. p. 1. §. 5. num. 6. cum Glo. in c. Vltim. est. de Consecrat. dist. 1. & in ca. Sabbat. ho. de Consecrat. d. 3. & insinuat in illo textu, vbi Innocentius dicit, Ecclesiam eo die sacramenta penitus non celebrare: celebrationem enim sacramentorum, quæ per antonomasiam vocat Missæ sacrificium, ut omnes exponunt. Et confirmatur optima coniectura hæc de essentia, vel saltem de substantiali integritate huius sacrificij est, quod fiat sub duabus speciebus consecratis, ut infra ostendemus, sed eo die non consummatur, nisi vna species: ergo signum est, non fieri sacrificium:

ficiū: quomodo enim Ecclesia faceret sacrificiū mutuum? cum, vel in hoc dispensare non possit, vel certe nulla sit sufficiens ratio dispensandi. Tandem, tota illa cæremonia, prout illo die fit, est ab Ecclesia instituta, nihilque in ea fit in propria Christi persona. Imo fortasse ideo tunc non fit consecratio, ne Christus in propria persona viuens, & loquens introducatur eo die, quo mortuus recollitur: & eadem ratione non interponitur eius persona, vt offerens sacrificiū incrementum, sed solum fit representatio eius, vt offerentis cruenta: non ergo fit eo die propriū sacrificiū in Ecclesia: quia nullum fieri potest in ea sacrificiū, in quo Christus non sit principale offerens. Quando ergo in officio illius diei sacrificiū nominatur, vellate sumitur pro quocunque sacro ministerio, vel significatur ipsa hostia consecrata, eodem modo, quo victima sacrificij solet interdum sacrificiū appellari. Generales autem locutiones, quod omnibus diebus offertur Deo sacrificiū in Ecclesia, non excludunt singularem exceptionem, quamuis illam expresse non expriment. De consuetudine autem Græcorum non consecrandi in diebus Quadragesimæ, præterquam sabbathis & Dominicis diebus, respondetur primum, illam consuetudinem non satis colligi ex Concil. Laodiceno: nam verba eius in c. 49. sunt, quod non oportet in Quadragesima panem benedictum offerre, nisi in sabbatho & Dominica: non enim consuevit nomine panis benedicti Eucharistia significari, quod fit fortasse ibi ita exponatur, ibidem absolute dicitur non esse offerendum alijs diebus: de oblatione autem ex præconsecratis nulla ibi fit mentio: consequenter vero concedendum est, illis diebus non fuisse oblatum sacrificiū: quod si hoc inconueniens videatur, respondemus, illam consuetudinem non fuisse receptam, nec probatam ab Ecclesia Romana.

SECTIO V.

Vinum sumptio sacramenti, prout à Sacerdote fit, sit de essentia huius sacrificij, vel potius tota essentia in sola consecratione consistat.

i Opinio.

Gabriel.
Soto.
Cano.
Bellarmin.
D. Thom.

Prima sententia est, sacerdotalem sumptionem esse de essentia huius sacrificij, non quatenus est qualiscunque usus sacramenti, sed quatenus est perfecta consumptio, & immutatio victime oblata. Ita insinuat Gab. lect. 26. in Can. & apertius docent moderni Thomistæ, Soto, d. 13. quæst. 1. ar. 6. & 8. quæst. 2. artic. 2. qui etiam dicit, potiore partem essentialem huius sacrificij esse sumptionem sacerdotis, idem tenet Ledesma, 1. par. 4. q. 23. artic. 4. Cano. 12. de locis, c. 13. quos secutus est Bellarm. lib. 1. de Missa, cap. vlt. fauet D. Thom. q. 80. ar. 12. ad 3. quatenus dicit, sacerdotem in persona totius populi, corpus & sanguinem sumere: nam in hoc significat, illam sumptionem non esse merum usum sacramenti, qui est mere personalis, sed esse actionem sacrificialem: solum enim actiones, quæ huiusmodi sunt, fiunt à Sacerdote in persona totius populi: & hac quæst. art. 4. dicit, Eucharistiam offerri, vt sacrificiū: consecrari vero & sumi; vt sacramentum: qui locus, quamuis alias difficilis sit, quia videtur vtramque actionem distinguere ab actione offerendi, in hoc tamen fauere videtur præsentis sententiæ; quia illas inter se æquiparat, vt ad rationem sacrificij admittantur, vel excludantur formaliter, aut materialiter, & eadem q. artic. 6. ad 3. significat, sacrificiū perfici per sumptionem: dicit enim, si contingat, post consecrationem vtriusque speciei aliquid mortiferum reperiri in calice, propter quod non possit à Sacerdote sumi, debere iterum vinum apponi & consecrari, vt sacrificiū perficiatur: at vero, si sola consecratio esset de essentia sacrificij, sacrificiū iam fuisset perfectum: quia iam fuerat vtraque species consecrata. Ratione

probari potest: primo, quia de ratione sacrificij generatim est, vt sacerdos sacrificans de victima oblata participet, vt D. Thom. docet q. 82. artic. 4. ex Concilio Toletano XII. & ex Dionysio, & Angustino, quos ibi citat. Vnde concludit, etiam in hoc sacrificio, necessarium omnino esse, vt, quoties sacerdos sacrificat, toties corpus & sanguinem Domini sumat, iuxta illud 1. ad Cor. 10. Nōne qui edunt hostias, participes sunt altaris? quoad hoc propositum citatur à dicto Concilio Toletano XII. c. 5.

Secunda ratio, & præcipua huius sententiæ est, quia de essentia sacrificij est, & præsertim holocausti, vt tota victima consumatur, & realiter holocaustur, sed hoc non fit in hoc sacrificio, nisi per sumptionem Sacerdotis, vt constat, quia ante illam Christus realiter manet sub speciebus: & vt sic, est victima sacrificanda: ergo sumptio, per quam quodammodo perfecte immutatur, & amittit illud esse, quod sub speciebus habet: est de essentia sacrificij: nam hoc sacrificiū est etiam holocaustum, in quo victima debet perfecte consumi. Responderi potest, ibi fieri realem immutationem totius substantiæ panis & vini. Sed hoc non satis est: tum, quia panis non est præcipua res oblata, sed Christus: tum etiam, quia nec panis ipse omnino consumitur per illam immutationem cum adhuc species eius remaneat: & ita nondum videtur holocaustum consummatum: tum denique, quia illa immutatio panis & vini insensibilis est: mutatio aut victimæ, cum in sacrificio sensibili fit, debet esse sensibilis. Aliter respondent alij, hic fieri immutationem, non realem, sed mysticam, quatenus ex vi horum corpus, & sanguis separatim consecrantur, & per eas cruenta Christi mors, quæ fuit verum holocaustum, representatur. Sed neq. hoc satis facit: alioqui hoc non esset verum, & reale sacrificiū, sed tantum figura & imago sacrificij: quia illa non est realis immutatio seu mactatio, sed tantum signum & representatio realis mactationis: non ergo hoc satis est ad verum & reale sacrificiū.

Secunda sententia est, sumptionem sacerdotalem sacramenti Eucharistiæ non esse de essentia sacrificij eiusdem Eucharistiæ, sed esse quid posterius, solumque pertinens ad perfectionem, quasi extrinsecam talis mysterij, totamque essentiam sacrificij in consecratione consistere. Ita sentiunt ex Scholasticis, D. Thom. hic, q. 79. art. 5. vbi dicit, Eucharistiam habere rationem sacrificij, in quantum offertur, rationem autem sacramenti, in quantum sumitur, & q. 82. ar. 4. ad 1. ait, quod Consecratio christi, vel cuiuscunque alterius materiæ, non est sacrificiū, sicut est consecratio Eucharistiæ: & q. 83. artic. 4. vbi omnes fere cæremoniae & actiones Missæ declarat, sic inquit: Quarto petit (scilicet Sacerdos) hoc sacrificiū peractum, esse Deo acceptum, cum dicit: Supra quæ propitio acsereno vultu respicere digneris, &c. quam orationem profert Sacerdos statim post consecratam vtramque speciem: tunc ergo censet D. Thomas, iam esse peractum sacrificiū, & inferius subdit: Deinde agitur de perceptione sacramenti, primo percipiente Sacerdote, postmodum alijs: censet ergo, totum hoc fieri iam peractio sacrificij, & tam perceptionem sacerdotis, quam aliorum, esse extrationem sacrificij. Idem sentit Bouaent. in 4. dist. Bonavent. 14. art. 1. q. 4. Maior dist. 9. & ex modernis, Alanus lib. Maior. 2. de sacrificio Missæ, c. 25. Cassal. lib. 1. de sacrif. c. 25. Alanus. Episcop. Oxom. tractatu de sacrificio, ca. 11. Cathed. Oxom. rin. Opusc. de sacrificio Missæ. Palacius in 4. dist. 8. dist. 1. & 4. Turrianus libro octauo constit. in Scholijs ad c. 5. 10. 11. 12. & 14. vbi inter alia refert, Simeonem Archiepis. Thessalon. libro de Myster. Miss. c. 3. distincte inquirentem, an Christus sacrificauerit ante vel post consecrationem: respondentemque, neque ante, neque post, sed in ipsa consecratione sacrificasse, Quia tunc facta est mutatio ex pane non mactato in corpus Christi mactatum: quæ verba fere habentur

Hhhh 2 tur

tur apud Nicolaum Cabasilam in expositione Liturgiae, cap. 32. Fundamentum huius sententiae esse potest, quia consecratio est sufficiens actio ad sacrificandum, & continet representationem mortis Christi: est ergo sufficiens materia mystica: ergo in illa sola consistit essentia huius sacrificij. Quod fundamentum probabile est, indiget tamen maiori declaratione. Et ideo, ut radix huius dubitationis intelligatur, illud quod supra notauimus, hic etiam obseruandum est: sacrificij essentiam in particulari, & quoad actionem ad significandum impositam, pedere ex institutione: institutionem autem supponere quidem in ipsis actionibus, aliquid, quod ex se illis conuenit, scilicet aptitudinem & decentiam ad talem usum, seu significationem, non tamen ex solis rebus ipsis oriri, aut in eis solis fundari posse, cum pendeat ex voluntate instituentis: fieri enim potest, ut aliqua actio de se apta sit ad sacrificium, & tamen non sit ad talem usum assumpta. Item, quod aliqua actio per se sola possit esse sufficiens ad sacrificandum, si imponatur, & tamen, quod de facto non sufficiat: quia non est per se assumpta, & imposita, sed coniuncta cum alijs, sicut in sacramentis sola ablutio sine verbis, vel sola unctio manuum, sine unctio oculorum, &c. posset sufficere ad sacramentum Baptismi, vel Extremae unctionis conficiendum, si Christus uoluisset, de facto tamen non ita est. Triplex ergo hinc oritur quaestio. Prima est de aptitudine, an sola consecratio per se sumpta fuerit apta ad totam sacrificij essentiam constituendam. Secunda, an etiam consecratio simul cum sumptione potuerit coniungi, ut per modum vnius artificialis compositi vnum sacrificium constituitur. Tertia, si vtrumque horum est possibile, quomodo institutio facta sit.

Sola consecratio apta est ad integrum sacrificium fundandum.

Dico ergo primo: Sola consecratio est sufficiens, & de se apta, ut possit imponi, ut in ea tota essentia alicuius sacrificij consistat. Haec conclusio videtur mihi certissima, quia in consecratione potest fundari tota significatio, tam mystica, quam moralis, ad sacrificium sufficiens: ergo illa per se est apta, ut in ea ponatur tota essentia sacrificij. Antecedens patet, quia per illam representatur passio Christi. Potest etiam imponi in recognitionem supremi cultus Deo debiti, ut auctori rerum omnium, quatenus per hanc actionem fit mirabilis quaedam, & supernaturalis rerum immutatio, in hunc finem, ut Deo offeratur, seu in honorem eius in altari ipsius praesens fiat res nobilissima, maximeque illi grata, quae est Christus Deus homo: ergo est sufficiens de se illa actio, ut integra ratio, & significatio sacrificij in ea fundetur: ergo, ut imponatur, ut fit tota essentia sacrificij. Neque fundamentum secundae sententiae plus probat, quod tamen non satis est ad ostendendam essentiam sacrificij, prout iam est à Christo instituta.

Satis sit rationibus in oppositum adductis.

Fundamentum autem primae opinionis, quatenus contra hanc conclusionem procedit, debile est, & necessarium nobis soluendum: intendit enim concludere, consecrationem non esse totam essentiam huius sacrificij, ac si esset incapax huius impositionis, & inepta ad hoc munus, nisi ei coniungatur consumptio sacramenti, quod tamen plane falsum est. Ad primum ergo negatur, de necessitate actionis sacrificij ut sic, esse quod sacrificians proximus participet de sacrificio: hoc enim nulla ratione, vel inductione ostendi potest: nam, seclusa manducatione, seu participatione sumentis potest esse aliud genus actionis, qua sufficienter consecratur, vel conficiatur res oblata, ergo nulla est ratio: cur ille determinat⁹ modus actionis dicatur necessarius ad rationem sacrificij, ut sic. Vnde in lege veteri multa erant sacrificia, quae omnino incendebantur, neque ex eis aliquid referebatur in usum sacerdotum, vel fidelium, & licet in aliquibus id fieret, ille tamen usus, vel participatio Sacerdotum, non erat de intrinseca essentia sacrificij, sed tanquam quid consequens, aut indicans effectum sacrificij, vel aliquid simile: de quibus legi potest D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 5. & 10.

Vnde huius rei signum colligere licet ex distantia temporis, & loci: nam, quod sacrificabatur, non statim comedeatur, sed vel eodem die, vel in aliquibus sacrificijs etiam in crastino: & non comedeatur in eodem loco: sed, vel in atrio à Sacerdotibus, vel in proprijs domibus à reliquo populo. Nec D. Thom. loco ibi citato dicit, hoc esse de ratione sacrificij ut sic, sed solum huiusmodi sumptionem, seu participationem esse congruentem ad perfectionem sacrificij, meritoque ex praeccepto esse posse necessariam sacrificanti: quod potest esse verum, etiam si non sit de essentia: au vero de facto ita sit in nostro sacrificio, dicemus statim: nunc enim solum explicamus, quid ex parte actionis imponenda ad sacrificium necessarium sit.

Ad secundam rationem recte tibi responsum est: ad rationem sacrificij potuisse sufficere transmutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quae per consecrationem fit: & ad primam replicam in contrarium respondetur: hoc esse singulare & excellens in hoc sacrificio, quod per se primo potius est propter efficiendum, quam propter destruendum, in omni enim sacrificio, quod per realem immutationem fit, inuenitur destructio alicuius rei oblatae, ex qua necessario resultat aliud, quod confurgens, & oblatum in honorem Dei. Est tamen differentia inter vetera sacrificia, & hoc nostrum: quod illa, quae erant imperfecta, & fiebant per actiones mere naturales & humanas, potissimum consistebant in destructione alicuius rei, per quam significabatur, Deum esse auctorem omnium, vel aliquid simile: Vnde, quod principaliter offerebatur, erat res illa interfecta, vel destruenda in Dei honorem: consequenter etiam, quod inde resultabat, offerebatur in honorem Dei, seu intendebatur, in odorem suauissimum Domino, ut sepe dicitur in Leuitico: at vero in nostro sacrificio, quia per actionem supernaturalem & diuinam perficitur, licet substantia panis & vini destruat, tamen, quod potissimum intenditur, est effectus & praesentatio (ut sic dicam) corporis & sanguinis Christi super altare Dei in honorem eius. Et ideo res oblata in hoc sacrificio principaliter ac simpliciter est Christus, qui est terminus talis actionis: vnde necesse non est, ut materia, quae transmutatur, sit semper res principaliter oblata, si terminus actionis, qua sacrificium perficitur, sit magis intentus, tam ex vi talis actionis, quam ex intentione sacrificantis: & de le etiam sit dignior, & ad cultum Dei magis pertinens: tunc enim illa esse potest praecipua res sacrificata: & ita contingit praesentia sacrificio.

Vnde facile soluitur obiectio, si in hunc modum fiat: nam si quis agnum viuum sumeret, eumque Deo offerret, solum praesentando illum super altare, & illum non interfecto, neque immutando, illud non satis esset ad sacrificium, sed esset quaedam simplex oblatio: ergo similiter sola consecratio per quam Christus praesentatur Deo in altari, si non intercedat alia sumptio vel immutatio, non potest sufficere ad sacrificium. Respondetur enim, licet, quod in antecedente assumitur, frequentius ita factum fuerit, iuxta communem usum veterum sacrificiorum, tamen simpliciter id non esse necessarium: posset enim sacrificari agnus absque immutatione reali & physica, si aliquid aliud sacrum circa illum haberet, quo conlenter manere moraliter sanctificatus, & ad sacros usus deputatus: nam, ut supra dixi, non est de absoluta ratione sacrificij, realis immutatio seu destructio alicuius materiae oblatae: quia, & in Leuitico interdum legitur sacrificia facta sine tali immutatione, ut patet c. 23. & 24. & ipsum nomen (sacrificium) solum postulat, ut circa oblatam fiat aliquid sacrum, quo diuina excellentia recognosci possit: quod non repugnat, alio modo fieri, quam per realem immutationem.

Secundo vero, & facilius, negatur consequentia & similitudo: quia ille agnus non representatur Deo per actionem sacram, immutatum vnius creaturae, ut dicitur.

vt efficiat agnum immaculatum in Dei honorem, repræsentando simul cruentum sacrificium talis agni, per quam actionem offertur Christus in Eucharistia, quæ sufficientissima est, vt dixi, ad rationem sacrificij. Præsertim, quia, sicut per actionem destructionem potest coli Deus, & significari suprema eius potestas & dominium: ita etiam per actionem effectivam ad hoc deputatam à Deo, maximè si illa effectio sit supernaturalis & diuina, & terminetur ad præsentandam Deo rem illi gratissimam, qua ipse maxime colitur & honoratur: vnde, licet demus, necessariam esse ad sacrificium realem immutationem alicuius creaturæ, non inde fit, esse necessariam per modum destructionis in re principaliter oblata: quia etiam esse potest per modum effectiois. Vnde ad secundam probationem de holocausto respondetur, formalem rationem holocausti, non consistere in hoc, quod tota res oblata consumatur vel comburatur, vel aliquid simile, alioquin sacrificium crucis non fuisset holocaustum: quia corpus Christi post mortem incorruptum manuit: ratio verò holocausti formaliter in hoc consistit, quod totum sacrificium ordinetur in reuerentiam & amorem diuinæ maiestatis & bonitatis, & consequenter, vt totū id, quod offertur, maneat Deo consecratum, quod totum habet Eucharistia ex vi consecrationis, etiam si realiter non consumatur.

Ad tertiam probationem de signo sensibili respōdetur actionem consecrativam, etiam esse sufficienter sensibilem, vt in ea possit sacrificium sensibile constitui, quia, licet sensibus non percipiatur, prout in se intime & substantialiter fit, tamen per verba consecrationis aliquo sensibili modo significatur: & hoc factus est in naturali sacrificio, quod non vtunque consistit in actione, sed vt facta per talia verba sensibilia: alioquin, neque sumptio corporis Christi dicitur sensibilibis, quatenus versatur circa ipsum corpus: quia, vt sic, non sentitur, nisi ratione specierum continentium, significantium ipsum Christum, quod totum fundatur in significatione & efficacia verborum: si ergo illud factus est, vt Christus dicatur sensibilibiter manducari: ita hoc erit factus, vt dicatur sensibilibiter significari seu consecrari: quia, nimirum signo sensibili consecratur. Nulla ergo ratione dubitari potest, quin consecratio Eucharistia, prout modo fit, potuerit esse actio sufficiens ad rationem sacrificij.

Dico secundo, consecrationem simul cum sumptione potuisse à Christo Domino institui ad integrandum, seu constituendum essentialiter vnum sacrificium, ita vt neutra actio sine altera per se illud completeret. Probat, quia in hoc nulla est repugnantia, & aliunde institutio pendet tota ex voluntate instituentis, & declarat, præterea, quia in hac duplici actione simul sumpta, est maior quædam exterior sensibilibis mutatio, seu consumptio rei oblate, vt conuincit argumentum prioris sententiæ: est etiam maius quoddam fundamentum ad plenius repræsentandam mortem Christi, vsque ad sepulturam eius, & effectum sanctificationis nostræ ex ea prouenientem: ergo propter has & similes causas, potuit Christus instituire, vt hæc duplex actio ad essentiam huius sacrificij pertineret. Præterea, potest hoc confirmari ex figura huius mysterij, quæ in sacrificio Melchisedech præcessit: in illo enim nulla fiebat mutatio sensibilibis circa panem & vinum oblatum: præter esum & potum eius. Similiter in iugi sacrificio agni, quod in figuram huius fiebat quotidie in lege veteri, videtur de substantia eius fuisse, præter interfectionem agni, sumptio panis & vini, vt ex capite 29. Exod. & 3. Numer. colligitur: ergo idem potuit in præsentem institui. Neque obstat, quod sumptio victimæ debet supponere immolationem eius: nam hoc est verum de sumptione, quæ ab aliis fit, solum ad participandum de sacrificio: non repugnat autem

Franc. Suarez Tom. 3.

sumptionem ipsius sacerdotis institui, vt sit consummatio ipsiusmet immolationis, & immutationis faciendæ circa rem offerendam.

Dico tertio: Verisimiliter est, de facto sumptionem sacerdotis non esse institutam, vt sit de essentia huius sacrificij, atque adeo totam essentiam positam esse in consecratione. Hæc assertio non est certa, quia voluntas Christi, ex qua omnia hæc pendunt, non est in hoc satis nota nobis: neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque etiam ex reuelatis, potest necessaria ratione colligi, & ideo solum dixi, hoc esse verisimiliter. Quod probatur primo ex autoritate quasi negatiua Euangelistarum, quos verisimile est, narrantes historiam & institutionem tanti mysterij, non prætermisisse essentialem ritum huius sacrificij: referunt autem expresse, Christum Dominum consecrasse Eucharistiam: non autem ita referunt, sumpsisse illam: nam, licet id probabiliter colligatur ex quibusdam verbis Lucae; tamen & sensus illorum verborum, ex quod id colligitur, incertus est, & præterea illa verba non sunt directe dicta ab Euangelista, vt nobis referret, Christum sumpsisse solum corpus & sanguinem, sed solum, vt referret quædam verba, quæ Christus protulit in cœna, scilicet, Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum: & illud, Non bibam amodo de hoc genimine vitis: ex quibus nos quasi indirecte colligimus, Christum manducasse & bibisse nouum Pascha: si autem hoc esset de essentia sacrificij, debuisset directe & satis clare ab Euangelistis referri, sicut, sæpe in superioribus diximus de his, quæ sunt essentialia huic mysterio, quatenus sacramentum est: quia non minus est necessarium Ecclesiæ, vt sacrificium est.

Secundo hinc sumitur secundum argumentum ex doctrina Sanctorum Patrum, qui sola consecratione contenti videntur ad explicandam huius sacrificij rationem. Vnde sunt illa verba Ambrosij, quæ in superioribus citauimus, Videmus principem Sacerdotum: & c. vsq; ad illud, Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificet sacrificium, quod offerimus. ponit ergo oblationem in sanctificatione sacrificij, quæ verbis Christi fit, quæ nihil aliud est, quàm consecratio. Et consentire videtur Cyprianus, in ser. de Cœna Dom. quem sup. citauimus: dicit n. ex vi verborum Christi incipere Eucharistiam simul esse medicamentum & holocaustum: videtur etiam expresse testimonium, quod ex Greg. refertur in c. Multi, l. q. 1. reperitur apud Ili. l. 6. Orig. c. 18. Sacrificium dicitur, quasi factum factum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam Dominicæ passionis. Vnde etiam Beda Hom. Domin. inf. Octau. Epiph. Beda. Memoria, inquit, passionis replicatur, cum panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis eius, ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur. docet aut D. Thom. in hoc art. 1. & sup. q. 79. ar. 7. hoc mysterium habere rationem sacrificij, quatenus in eo repræsentatur passio Christi, qua se obtulit hostiam Deo. Præterea in ca. Relatum de Conf. d. 2. & Conc. Tol. XII. c. 5. sic legitur: Relatum est nobis, quosdam esse Sacerdotes, non tot vicibus cõmunionis sanctæ gratiam sumere, quoties sacrificium in vno die, si plura per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à cõmunionis suspendant, & in sola tantum extremi sacrificij oblatione cõmunionis sanctæ gratiam sumant, quasi non sit roties illi vero & singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis immolatio facta confiterit.

In quibus verbis in primis notandum est: in eis supponi immolationem prius esse factam, quam de sacrificio participet Sacerdos: hoc n. significant illa verba (participandū est de sacrificio, quoties immolatio facta confiterit), vbi consecratio nomine (immolationis) significata videtur. nam perinde dictum videtur, ac si diceretur, cõmunicandum esse Sacerdoti, quoties ab eo consecratio facta fuerit. Vnde non do-

Hhhh 3 cetur

Consecratio
sumptio
institui potest
autem, vt si
mal nec sepa
rari, suffici-
entia ad sa-
crificij fun-
dandum.

Totum sacri-
ficii eucharis-
tici essentia,
in consecrati-
one positam,
præsertim sum-
ptione, proba-
bile est.

Ambrosij

Cyprianus

Conc. Tol.

Greg. Nyss.

cerur sacerdotem debere fumere, vt immolet vel offerat, sed vt de re iam oblata & immolata participet, iuxta illud, quod supra ex Grego. Nyss. orat. 1. de Resurrect. retulimus: & presentem conclusionem non parū confirmat: dicit enim in vniuersum sumptionem huius sacramenti supponere immolationem iam factam: & ad hoc propositum adducit eadem verba Pauli, quae Concil. etiam Toletan. citauit, (Qui edunt hostias, participes sunt altaris), 1. ad Cor. 10. id est, eduntur hostiae ad participandū de altari: id est, de sacrificio in altari oblato: fumitur enim cōtinens pro contento. Denique, hoc confirmant verba eiusdem Gregorij Nyss. lib. de baptismo prope initium, Panis in principio, panis est: at vbi illum mysterium sacrificauerit, corpus Christi, & dicitur, & est: vbi consecrationē, sacrificacionem vocat, panem autem sacrificari dicit, vt materiam sacrificacionis. Tertio est optima coniectura supra etiam indicata, quia in hoc sacrificio principalis sacerdos offerens est Christus: in tantum vero Christus est principalis offerēs, in quantum proximus minister in persona eius operatur: ergo sola illa actio est essentialis oblatio huius sacrificij, quā sacerdos ministerialis in persona Christi exercet: haec autē est sola consecratio, illa enim loquitur in persona Christi, vt supra ostensum est: in sumptione vero nihil operatur in persona Christi, sed in propria: nihil enim in ea fit, quod in persona Christi fieri sit necesse. Et potest in hunc modum declarari: nam in sumptione duo sunt: scilicet, collatio sacramenti, & acceptio: primum fit quidem à Sacerdote, vt ministro Christi, non tamen vt operante, & representante formaliter personam eius, sed per potestatem ab eo receptam: sicut quando baptizat, vel aliud sacramentum confert: imo haec actio per se & in rigore, licet requirat potestatem ministerialem, non tamen sacerdotalem, nisi ratione cōsecrationis: potest enim per se à Diacono fieri. Vt autem sumptio est receptio sacramenti, multo minus fit in persona Christi: fit enim à sacerdote, vt membro Christi, participante victimam oblatam: vnde sacerdos sumpturus sacramentum eodem modo pro se, & pro alijs orat, Vt quotquot ex hac altaris participatione sumpsimus, omni benedictione caelesti & gratia repleamur, & ideo statim in propria persona dicit, (Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum): dum ergo sumit, propriam tātum gerit personam, non Christi: ergo illa sumptio non pertinet ad essentialē actionem huius sacrificij.

D. Thom.

Quarto potest addi congruentia, quia nulla fuit necessitas instituedi sumptionem vt essentialē sacrificio: & alioqui conueniens fuit, vnicuique actioni proprium locum & gradum tribuere: ergo verisimile est, ita factum esse. Maior sufficienter constat ex dictis in prima conclusione, & quoad mysticam significacionem amplius declarat: quia Christus ad hoc ordinauit hoc sacrificium, vt esset suae passionis memoriale, iuxta illud, (Hoc facite in meā commemorationē): propter quod dixit D. Tho. locis supra citatis, hoc mysterium habere rationem sacrificij, quatenus in eo agitur representatio passionis Christi: sed hoc agitur in consecratione ipsa, & propterea non debet corpus sine sanguine consecrari, vt dixit idem D. Thom. qu. 78. art. 2. & 7. & qu. 80. artic. 12. ad 3. ergo non oportet, ad representationem, vel significacionem huius sacrificij, addere sumptionem vt essentialē: nam cruentum sacrificium Christi in puncto mortis consummatum est: sepultura autem eius non fuit de substantia sacrificij, sed veluti quaedam extrinseca perfectio seu consummatio, aut potius testificatio eius: hoc igitur in presenti, sacrificij hoc in cruentū tunc substantialiter perficitur, quando mors Christi expresse representatur, quod per consecrationem fit: in sumptione autem representari potius videtur Christi sepultura: non ergo fuit necesse, illam adhibere, vt essentialē, sed solum vt

participationem, & quasi testificationem sacrificij peracti. Atque hinc etiam patet minor propositio in argumento assumpta: nam sumptio Eucharistiae, etiam si à Sacerdote fiat, habet propriā rationem suam in ratione sacramenti, formaliter namque est vniuersum sacramenti: habere etiam potest suam propriam significacionem distinctā à significacione sacrificij: vt declaratum est: ergo conueniens fuit, vt huiusmodi sacramenti omnino distinctus ac separatus fuerit ab actione sacrificandi: & quod haec prius consummata sit, vt sacerdos, sicut reliqui de victima iam plene immolata participet. Quo fit, vt tam vere immolatus sit Christus, vt maneat sub hostia cōsecrata nō sumpta à Sacerdote, quam, vt fuit sub hostia, quam sacerdos consumpsit: imo licet contingat, post consecrationem non sequi sumptionem, reuera manet Christus sacrificatus, & perfecte immolatus, vt, si post cōsecrationem contingat, apparere carnem aut sanguinem, vel aliam similem immutationem in speciebus fieri: tunc etiam, nec sumendum est sacramentum, nec necessarium est ex praecepto, iterum conficere, ac fumere, vt constat ex D. Thoma qu. 82. art. 4. ad 3. signum ergo est, iam fuisse perfectam immolationem: alioqui non esset sacrificium in perfectum relinquendum. Vnde tandem solet coniectura sumi ab effectu sacrificij, qui non differat vique ad sumptionem, sed statim post consecrationem datur: alioqui in eo casu sacrificium maneret sine effectu. Quae coniectura, licet ex re aequae incerta sumi videatur, in hoc tamen habet congruentiam aliquā, quod per se decens esse videtur, vt consecratio ipsa vilius aliquē in nobis habeat effectum: vt, sicut passionem Christi nobis representat ex ipsius institutione, ita etiam virtutem eius aliquo modo nobis applicet. Ac denique, vt sicut effectus sacrificij & sacramenti, diuersi sunt, ita etiam diuersis temporibus conferantur: nec sacrificium, vt si licet effectu careat, etiam si ad vnum sacramenti non perueniatur.

Dices, cur ergo Ecclesia differat commemorationē & oblationem pro defunctis, vique ad tempus post consecrationem? si enim iam erit applicatus sacrificij effectus, quando defunctorum commemoratio fit, quod videtur magnum inconueniens, & contra mentem Ecclesiae: quae vult sacrificij etiam ex opere operato prodesse defunctis. Adde, quod post consecrationem fit noua oblatio sacrificij, & deprecator, vt, & fit Deo acceptū, & proficit offerentibus & his, pro quibus offertur. Responderetur, applicationē sacrificij, quoad effectū ex opere operato, quae non fit, nisi per intentionem Sacerdotis offerentis, fieri debere ante consecrationem, vt infra dicam, siue viuentibus, siue defunctis applicetur: quia effectus esse non debet quasi suspensus, sed statim dari, ac sacrificium consummatur: consummatur autem in vniuersis speciebus consecratione, vt dictum est, & dicitur sectione sequente: & ideo iam tunc adesse debet intentio applicentis, vt statim fiat applicatio. Neque ex ritu, quem Ecclesia seruat in Missa dicenda, aliud colligi potest: nā potius statim post finitā consecrationem incipit sacerdos deprecari pro sumētibz, & participantibus victimam oblatā, vt eis pronūciat ad salutē, &c. Quod vero Sacerdos etiam tunc orat, vt Deus acceptum habeat sacrificium, nō est, quia essentialis oblatio sacrificij non fit iam peracta, sed quia adhuc habemus praesentem rem oblatam, & per illam possumus plura semper beneficia impetrare, & iterum atq; iterum Deum deprecari, vt & maiorem in ipsum reuerentiā ostendamus, & vt ad plura beneficia nobis conferenda, sacrificium nostrum acceptet: ac demigvt effectus sacrificij propter demeritum nostrum non impeditur, quam rem explicuit optime Cyrillus Hierosolym. Cateches. 5. mystag. dicens. Deinde vero postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incuruentis, super ipsa propitiatis hostia, obsecramus Deū pro cōmuni Ecclesiae pace, &c. & inf. Cum

Cum hoc sacrificiū offerimus, postea facimus mentionem etiam eorum qui ante nos obdormierunt. & inf. Deniq̄ pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximū credentes animarum iuamēn pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremēdi, quod in altari positum est, sacrificij: quibus verbis satis declarat post consecrationem orari pro defunctis, non de nouo pro eis sacrificium offerēdo, sed interpretando & impetrando, ratione sacrificij oblati, & Deo iterum representando oblatam hostiam, quæ præsens adest.

Dubium.

Vna vero superest difficultas circa dicta, nam videtur ex eis sequi, iure diuino nō teneri Sacerdotem sacrificantē ad sumendum sacramentū: consequens autē falsum est: ergo. Sequela patet, quia nullum habemus præceptū positium à Christo specialiter latum, & sacerdotibus impostum de hac sumptione: si ergo hoc esse potest de iure diuino, solū est, in quātum hæc obligatio intrinsece continetur, in generali & naturali obligatione efficiendi perfectum sacrificium: hæc autem obligatio nulla est, si sumptio non est pars sacrificij: quia, si non est pars, sacrificium erit sine illa perfectum: obligatio autem participandi de hostia sacrificata, non est intrinseca & naturalis, cum necessaria non sit in omni sacrificio, vt dictum est: stante ergo doctrina tradita, quod sumptio non est de substantia sacrificij: non est cur dicatur talis sumptio iure diuino necessaria: cōsequens autē est in primis contra D. Tho. q. 82. a. 4. imo videtur esse contra antiqua decreta in ca. Comperimus, de Consec. d. 2. vbi dicitur immane esse sacrilegiū, nō sumi vtramq̄ speciem ab eo, qui sacrificat; & in c. Relatum. de Consec. d. 2. vbi idē præceptum declaratur, dicitur: Quale erit sacrificiū, cuius neque ipse sacrificas particeps esse dignoscitur? Vbi hoc videtur fundari in ipsa ratione sacrificij. Idem colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. ca. 8. quin potius tam necessarium iudicatum est in Ecclesia, vt post consecrationem sequatur sumptio, vt, si contingat Sacerdotem consecrantem non posse sumere, debeat alius loco eius substitui, vt consummet sacrificium, vt docet D. Thom. in hac q. art. 6. ad 1. ex c. Illud, & c. Nihil, 7. q. 1. & idem habetur in regulis Missalis de suppleendis defectibus Missæ: indicatur ergo hæc sumptionem esse præceptum tanquā de substantia sacrificij: alias, non oportuisset Ecclesiā tam sollicitam esse de supplenda re accidentali & extrinseca, si supponeretur iam perfectum sacrificium. Quin potius vix potest assignari ratio differentie, cur magis sit necessarium, Sacerdotē sumere, quam distribuere alijs altantibus, & per ipsum offerentibus, vt ipsi sumant, cum certius constet, Christum distribuisse Eucharistiam, quam sumpsisse: & vtrumq̄ dicatur esse extra rationem sacrificij: & tantum quidā vsus sacramenti, & participatio victimæ immolatæ.

D. Thom.

Conc. Trid.

Solutio.

1 Cor. 10.

Ordo ad sumptionem de essentia Eucharistica sacrificij.

Respondetur esse quidem præceptum Sacerdotibus, vt vtramque speciem sumant, cum sacrificant: vt est satis constans ex dictis, & ex vsu Ecclesiæ. Adde vero deinde, non ideo hoc esse præceptum, vt per eā actionem sacrificent, sed vt participent de oblato sacrificio, & ipso opere ostendant, se consentire sacrificio, iuxta illud 1. ad Corinth. 10. (Qui edunt hostias, particeps sunt altaris.) Ita sumitur ex D. Thom. in hac & præcedente q. vtrubiq̄ art. 4. Dicit vero vterius potest, de ratione huius sacrificij esse ordinem ad sumptionem: quia, licet per se primo sit propter diuinū cultum, consequenter vero etiam est institutum, vt hostia in eo immolata & consecrata, sit animarū, seu fidelium cibus, & hoc modo, ordo ad sumptionē potest aliquo modo dici de ratione huius sacrificij, quamuis sumptio ipsa non sit de substantia eius, sed extrinseca quædam perfectio & consecratio cuiusdā finis intenti in ipsa re consecrata & sacrificata: & hoc sensu intelligendū est, quod ait August. 16. de Ciuit. ca. 5. manducare panem esse in nouo Testamento sacrificiū Christianorum sc. quātum ad rem oblatam:

nam, sicut sacrificia vetera post oblationem dabantur Iudeis in escam, ita loco illorum in lege noua datur fidelibus panis consecratus in cibum, ideoq̄ præcipitur Sacerdotibus, vt vel ipsi sumant, & de sacrificio participent. An vero hoc præceptum iuris diuini sit, non satis mihi constat: nam Conc. Trid. solum dicit, Ecclesiæ morē semper fuisse, vt Sacerdotes celebrantes, se ipsos cōmunicent. Qui mos, inquit, tanquam ex traditione Apostolica descendens iure ac merito retineri debet. Vbi nihil dicit de diuino iure: quia nec traditio Apostolica statim infert ius diuinum: nec tam intēdit Conciliū ibi docere, quid præceptū sit, quā, quid liceat, scilicet, quod liceat Sacerdoti offerenti communicare se ipsum, vt statim Canon definit. Alia vero antiquiora decreta, quamuis præceptum declarent, non tamen satis explicant, iure diuino latum esse: imo nec D. Tho. docet expresse, hoc esse præceptum iuris diuini. Si autem propter coniecturas adductas dicendum videatur hoc esse præceptum diuini iuris: ad difficultatem propositam respondendum est, tale præceptum non colligi ex sola ratione, nec ex natura sacrificij vt sic, sed ex traditione & sensu Ecclesiæ, ex quo intelligimus, hanc fuisse Christi voluntatē, non quia sumptio sit de substantia sacrificij, sed vt mysterium Eucharistiæ omni ex parte, tam in ratione sacrificij, quā sacramenti, consummetur, & ad vsum reducatur, saltem à ministro publico conciente illud, & præterea, vt minister ipso opere se exhibeat perfectū ministrum: ostendendo ad se sacrificium pertinere, seq̄ illi consentire, esseq̄ dispensatorem illius cibi, cuius primo sit particeps.

Sacerdotem de sacrificio participare de iure esse diuino præbabile est.

SECTIO VI.

Vtrum consecratio vini, an vtriusq̄ speciei, sit de essentia huius sacrificij, & sub qua ratione.

Hæc sola quæstio superesse nobis videtur, vt totā huius sacrificij essentia explicata maneat. Duō vero in titulo coniungimus, quæ inter se connexa sunt. Vt vero id, quod quæritur distinctus intelligatur, aduertendum est, tria posse in consecratione considerari. Primum est, destructio panis & vini facta in honorem & cultum Dei, sicut olim animal interficiebatur. Secundum est, quod Christus sit præsens sub speciebus similiter in Dei cultum & honore. Tertium est, quod per consecrationem vtriusq̄ speciei sit mactatio mystica, quatenus ex vi verborum corpus & sanguis sacramentaliter separantur: licet re ipsa coniuncta sint per concomitantiam. Et quidem primum & secundum, quamuis ratione physica distincta sint, tamē in ordine ad sacrificium per modum vnius consideranda sunt, quatenus vnam componunt consecrationem, & quali mutationem, sicut in alijs proprijs mutationibus contingit ex delitione termini, à quo, & effectiōne termini ad quem, vnam componi mutationem. Itaq̄ primum illud (scil. destructio panis) præcise sumptum non constituit rationem sacrificij, sed est, quasi via quædam seu dispositio ad sacrificiū: quia in ea solum intelligitur id quod se tenet ex parte materiæ, seu termini à quo: nondum autem intelligitur terminus ad quem, qui est Christus immolatus. De secūdo igitur & tertio est disputatio. Et ratio dubij esse potest, quia in consecratione singularium specierum est non solum delitio materiæ, quoad substantiam panis & vini, sed etiam præsentia sacramentalis ipsius Christi in honorem Dei facta: est ergo in vnaquaq̄ consecratione essentialis ratio sacrificij. Et confirmari potest ex dictis: quia statim, ac consecratur panis, iam est aptus & sacer cibus fidelium, etiā antequam consecratur calix: ergo iā est victima immolata: quia ante immolationē non est victima apta in cibū, & ideo terminus consecrationis dicitur à Patrib⁹ esse Christus immolatus, qui propterea statim incipit esse hostia sancta, & immaculata. In contrarium vero est, quia hoc sacrificiū

Dubitandi ratio.

Hhhh 4 In oppositū, essen-

essentialiter requirit expressam representationem sacrificij crucientis, sed hæc non fit in consecratione vnius speciei, sed vtriusq; simul, quatenus separatim consecrantur ex vi verborum: ergo in vtraq; simul posita est substantia sacrificij.

1. *Opinio.*

Duas in hac re inuenio extremè dissidentes sententias. Prima affirmat, consecrationem cuiuscunq; speciei per se sumptam, essentialiter esse veram sacrificiationem, ratio enim facta ostendit, in singulis esse quicquid est de ratione sacrificij, quia per eam res oblata ex profana efficitur sacra, & diuino cultui dicitur, quod satis est ad rationem sacrificij, iuxta doctrinam Diui Thomæ in 2. 2. quaest. 85. art. 3. ad 3. Idem tenet Ruard. & Cassal. locis supra citatis. Quod si obijcias primò, quia in singulis consecrationibus, ex vi verborum non conficitur totus Christus, sed corpus vel sanguis: respondent, hoc nihil referre, nam satis est, quod re ipsa consecratur totus Christus siue id fit ex vi verborum, siue per concomitantiam, eo vel maxime, quod corpus & sanguis Christi, per se sufficeret ad essentiam sacrificij, cum sit in hinc va loris. Si obijcias secundo, quia sequitur, duas consecrationes esse duo sacrificia; quia in vnaquaque earum reperitur æqualis ratio sacrificij, quia per vtraque fit æqualis immutatio creaturæ, & offertur res infiniti valotis, tam ex vi verborum, quam per concomitantiam, & vtramq; Christus æque adhibuit, & de vtraq; dixit, Hoc facite: & in vtraq; considerare licet æqualem significationem, tam moralem quam mysticam: ergo vtraq; erit verum sacrificium, & consequenter erunt duo sacrificia: respondebunt, negando sequelam: quia, licet in singulis sit essentia sacrificij, tamen, quando moraliter vniuntur, non est in singulis earum per modum totius, sed per modum partis integrantis vnum integrum sacrificium. Sic ut in rebus physicis, quamuis essentia aquæ sit in qua liber parte eius, tamen, cum vniuntur, non sunt plures aquæ, sed vna. Et in hoc eodem mysterio in ratione Sacramenti considerato, quamuis in singulis speciebus sit vera ratio sacramenti, nihilominus ex vrisque vnum constat sacramentum, quod, licet in specie heterogeneum videatur, tamen in ratione formali signi homogeneum est. Sic ergo erit in præsentis, quoad rationem sacrificij: nam etiam sub hac ratione completur vna significatio expressior ex vtraque consecratione, quæ ad ipsum sacramentum terminatur: vnde sicut sacramentum est vnum, ita sacrificatio erit vna. Quod si tandem obijcias tertio, in singulis consecrationibus non esse perfectam imaginem, & representationem passionis Christi: respondebunt, significationem mysticam non esse adeo intrinsecam & essentialem sacrificio, sicut moralem: id eoq; in hoc genere satis esse, quod quælibet consecratio per se aliquo modo dicitur passionem indicet: nam hoc ipso, quod corpus solum consecratur ex vi verborum, vel solus sanguis, illud conficitur vt exanguis: hic verò vt effusus, seu separatus à corpore existens: & ita per singulas consecrationes indicatur mors, quod si per vtramque simul expressius representatur, inde solum fit, in eis esse magis integrum, & perfectum sacrificium: non verò totam sacrificij essentiam, ita vt tota fit in vtraque simul, & non in singulis consecrationibus: erunt ergo hæc consecrationes, partes integrales, non essentielles vnius sacrificij.

2. *Opinio.*

Secunda opinio extremè contraria est, consecrationem tam vnius, quam duarum specierum, quatenus est realis transmutatio vel transsubstantiatio, & includit illa duo, quæ in principio considerari posse diximus non pertinere intrinsece ad essentiam huius sacrificij, sed esse quid præsuppositum ad mastrationem mysticam, quæ consistit in representatione corporis & sanguinis, acti in re essent separata: sub qua ratione mystica mastrationis dicunt, consecrationem habere finem & essentiam huius sacrificij:

nam reliqua mutatio panis, neq; est primario intenta à sacrificante, neque in ea posita est aliqua religionis actio, quæ sacrificiali modo fiat ad Deum placandum, quia solum potest placari respiciendo in faciem Christi sui sacrificari: est ergo solum veluti conditio præsupposita, & quasi instrumentum quoddam, quo vtitur Deus ad mastrandum quodammodo mystice Christum in altari: in qua mastratione posita est essentia huius sacrificij. Hanc opinionem tenet & late exponit Sebaldianus Episcopus Oxoniensis tractat. de Sacrif. cap. 11. & 14. secutus Alanum lib. de Sacrif. cap. 19. & 20. Ex quibus vix colligere possum solidum huius sententiae fundamentum, aut quomodo percipi possit mastratio mystica, quin intrinsece includat aliquam actionem realem, vt infra dicam. Potest tamen in hunc modum ex eorum doctrina fundari: nam ex tribus supra numeratis, primum, quod est panis destructio non potest per se ad rationem sacrificij intrinsece pertinere, propter rationes insumptas in explicandis ipsam opinionem; scilicet quia, neq; est per se intenta, neq; fit ad placandum Deum, etenim alias panis ellet res principaliter oblata in hoc sacrificio, sicut in veteribus sacrificiis, in quibus alicuius rei destructio vel interfectio fiebat ad honorandum vel placandum Deum; res quæ peribat, erat principaliter oblata, & in hoc sacrificio nullo modo dici potest: primum ergo illud non potest ad essentiam huius sacrificij per se pertinere. Secundum autem, scilicet præsentia corporis & sanguinis Christi sub speciebus, pertinet ad rationem sacramenti, quod conficitur per mutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi sacramentaliter existentia: ergo illud etiam sub ea ratione non pertinet intrinsece ad essentiam sacrificij: nam ratio sacrificij, & ratio seu constitutio sacramenti, diuersæ esse debent. Superest ergo tertium, scilicet mystica mastratio, in qua essentia sacrificij consistit. Et quia hæc mastratio intelligi non potest sine duplici specie separatim ex vi verborum continente corpus & sanguinem Christi, inde consequenter concludunt, consecrationem vtriusque speciei sub prædicta ratione ad essentiam sacrificij necessariò requiri. Non explicant autem prædicti auctores, an dicenda sit vtraque species de essentia, vel de integritate sacrificij: magis vero indicant esse de essentia, quia ad mastrationem, vt sic, non satis est quodcunque signum, vel indicium mortis Christi, sed necessaria est, veluti actualis effusio & separatio sanguinis à corpore: hæc autem non est, nisi ambæ species concurrant.

In vtraque harum opinionum aliquid verum reperitur: neutra tamen earum videtur omnino rem explicasse, & fortasse aliqua ex parte de modo loquendi magis, quam de re disputant. Supponamus ergo, quod sæpe diximus, aliud esse loqui de institutione, quæ fieri potest circa has easdem actiones, aliud verò de institutione, quæ facta est: nam de possibili loquendo, constat, potuisse Deum instituire, vel vnam vel duplicem consecrationem, in ratione sacrificij idque vel ratione mutationis panis, in honorem eius factæ, vel ratione termini sub speciebus panis constituti, vel præcisè propter ipsum, vel simul propter representationem alterius realis mastrationis: nihil enim horum per se repugnat, & in quolibet reperiri potest sufficiens aptitudo & proportio, vt ex impositione possit recipere significationem ad sacrificium requisita: vt, si fingamus hominem non peccasse, & consequenter Christum non fuisse pro illo mortuum, Verbum tamen factum fuisse hominem: tunc enim institui potuisset sacrificium, in quo sub sola specie panis totus Christus consecraretur, & offerretur Deo in cultum eius absque vlla mastratione mystica, vel representatione passionis: quia tunc illa actio posset ad cultum Dei ordinari, & per illam posset aliquid in cultum offerri: nulla est enim in hoc repugnancia: sicut, neque est contrario potest vlla asser-

gnari in hoc, quod nunc vtriusque speciei consecratio ad rationem sacrificij imponi potuerit. At modo de hoc non agimus. Sed inquirimus institutionem prout facta est, de qua nonnulla tanquam certa & indubitata supponenda sunt. Primum est, singulas consecrationes panis & vini per sese posse fieri ita, vt factæ teneant, quia vt supra dictum est, vt vna fiat, non pender essentialiter ab alia: nam statim ac verba consecrationis panis consummantur, fit aliquid sacrum, etiam si contingat, vinum non sacrari; & idem esset, si è conuerso calix ante panem, vel etiam sine pane consecraretur. Vnde sic, quancumq; ex his actionibus per se sumptam esse sufficientem ad efficiendum aliquid sacrum; & consequenter rationem hanc essentialiter conuenire cuilibet earum per se consideratæ; scilicet: esse effectricem alicuius sacri ad cultum Dei pertinentis: nam quoad hoc præcisè, neutra pender ab altera: vnde, quoad hoc non possunt dici partes essentielles alicuius totius: nam quando duo partes sunt essentielles, si vna pars adhibeatur sine altera, nihil fit, vt patet in Baptismo, si ablutio sine verbis, vel è conuerso applicetur. Quamuis autem hoc ita sit; adhuc superest quæstio, an illud sacrum, quod per vnam vel alteram consecrationem præcisè fit; secundum præsentem institutionem habeat essentialem rationem sacrificij, vel quidnam illud sit.

Secundo est certum, mutationem illam panis, quæ in consecratione fit, non esse per se primo intentam in hoc sacrificio, vt panis, vel vinum destruat in honorem Dei; non quia hoc fuerit impossibile, sed quia tale sacrificium esset imperfectum ex parte rei oblate, vt recte probant rationes secunde sententiæ: nostrum autem sacrificium est perfectissimum & infinitum ex hoc capite: non ergo per se primo fit ob destructionem panis: essentia ergo huius sacrificij non potest primario consistere in ditione panis. Adhuc tamen superest quæstio, an hæc deditio intret aliquo modo essentiam huius sacrificij, prout de sacro institutum est.

Conclus. Dico ergo primo, consecrationem habere rationem sacrificij sub ratione mysticæ maestationis, ac separationis corporis & sanguinis ex vi verborum, totumq; hoc ad essentiam huius sacrificij pertinere. Quoad hanc partem veram esse censeo secundam opinionem, quam tenet etiam, quoad hoc Bellarm. li. 4. de Euch. c. 22. & sumi potest ex D. Th. q. 80. ar. 12. ad 5. quatenus dicit, representationem Dominicæ passionis in consecratione peragi, ideoq; non posse corpus sine sanguine consecrari: & ex hoc art. 1. in quo probat. in mysterio Eucharistiæ immolari Christum, quatenus continet expressam imaginem, & representationem sacrificij cruenti, quod etiam multi Patres docuerunt, quorum testimonia in præcedentibus sectionibus retulimus. Ex quo principio potest in hunc modum ratio concludi; hoc mysterium ita est sacrificium incruentum, vt esse debeat representatio cruenti sacrificij, iuxta Christi verba in hunc modum ab Ecclesia intellecta; Hoc facite in meam commemorationem, i. in representationem passionis meæ. Vnde est illud Cypr. lib. 2. ep. 3. Scriptura dicit: Quotiescumq; ederitis panem istum, & calicem istum biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat: quotiescumq; ergo calicem in commemorationem Domini & passionis eius offerimus, id, quod constat Dominum fecisse, facimus: Et illud Aug. in c. Semel, de Cōsec. d. 2. Semel immolatus est Christus in semetipso, & tamen quotidie immolatur in sacramento: & alia multa, quæ in ea dist. referuntur, præsertim in c. In Christo, vbi Ambros. ait, hoc sacrificium esse exemplum illius, quo semel in cruce Christus oblatus est: est ergo hoc de ratione & essentia huius sacrificij, vnde fit: quicquid fuerit de ratione huius expressæ representationis, esse etiam de essentia, & ratione huius sacrificij.

De harm. d. I. v. 6.

Cyprian.

Augustin.

Ambros.

Dico ergo secundo: vt hoc mysterium absolute & simpliciter sit verum sacrificium, prout à Christo est institutum, essentialiter requiri vtriusque speciei consecrationem. Ita videtur mihi sentire D. Tho. Et probatur ex præcedente conclusione; quia de essentia huius sacrificij est expressa representatio mortis & passionis Christi, sed hæc intrinsece requirit consecrationem vtriusque speciei: ergo vtriusque consecratio est de ratione sacrificij. Minor declaratur, quia aliud est loqui de quolibet signo, seu iudicio mortis Christi: aliud vero, de expressa representatione passionis eius. Primum enim reperiri potest in qualibet specie per se sumpta, tamen valde implicite & obscure: quia corpus, licet ex se & ex vi verborum non dicat determinate corpus viuum, tamen etiam non excludit illud: & ideo consecratio corporis, vt sic: non satis significat corpus mortuum, cum de se indifferens sit ad viuum, & mortuum, & idem fere est de consecratione sanguinis per se sumpta: nam etiam sanguis potest esse in venis, & extra venas: ergo sola illius consecratio ex vi sua non representat sanguinem, vt separatum à corpore: necessaria ergo est separata vtriusque speciei consecratio: vt sit expressa representatio passionis, atque adeo mysticæ maestatio. Accedit alia differentia notanda. Nam sacrificium Christi cruentum non consistit in hoc, quod corpus eius fuerit mortuum, vel quod sanguis fuerit extra venas, sed in ipsa actuali passione, & sanguinis effusione vsq; ad separationem animæ à corpore. Vnde fit, vt licet demus, per vnam speciem corporis significari corpus mortuum, & per sanguinis speciem per se sumptam significari sanguinem effusum, non inde fit, per singulas species per se sumptas representari sacrificium cruentum, nisi fortasse in suo termino. At vero, quando sanguis statim post corpus separatim consecratur, quasi in viua imagine representatur ipsa effusio sanguinis, & consequenter separatio animæ à corpore, quæ ex effusione sanguinis secuta est: nam (vt Scriptura interdum loquitur) vita hominis in sanguine est: & ideo solet anima per sanguinem representari.

Secundo probari potest conclusio verbis & factis Christi. Ipse enim in vtraque specie obtulit, quas non sine causa in diuersis materijs, & diuersis verbis consecrauit, nec sine mysterio in consecrando calice addidit illa verba, Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum, indicas, per sui sanguinis effusionem perfectam esse remissionem peccatorum. Et ideo ad hunc effectum applicandum instituit sacrificium, quod illam effusionem representet per separatam sanguinis à corpore consecrationem. Post illud autem factum præcepit nobis, vt eodem modo offerremus: dicens, Hoc facite in meam commemorationem: & ita Ecclesia semper intellexit, & seruauit: est ergo vtraque consecratio simpliciter necessaria, vt hoc sacrificium consistat: & hoc sensu dicitur de essentia eius, quæ non potest aliunde melius intelligi quam ex verbis & factis instituentis. Tertio declaratur exemplis & figuris. Etenim in lege veteri, quando plures actiones, aut res præcipiebantur ad constituendum aliquod sacrificium, oēs illæ erant de substantia sacrificij, vt v. g. si præcipiebatur animal interfici, & cremari. Similiter in sacrificio Melchisedech, panis & vinum censenda sunt fuisse de essentia: quia Scriptura simpliciter dicit, obtulisse panem & vinum: nec posset rationabiliter dici, vnam potius, quam aliam materiam; aut alterutram potius, quam vtramq; fuisse de essentia, cum Scriptura simplici & copulatiua locutione vtramq; æque cõprehendat, & (q; proximè ad rem spectat) sacrificium Christi cruentum, licet in passione fuerit in choatum, tamen essentialiter mortè requisitum: ita, vt si mors non fuisset reuera subsecuta, sacrificium non fuisset essentialiter perfectum, nec consummasset redemptionem nostram, supposita Dei institutione & reuelatione: ergo cum

Hoc sacrificium à Christo institutum vtriusque speciei consecrationem essentialiter requirit.

Probat ex conformitate ad sacrificium cruentum Christi.

Ex Christi facti in vna.

Ex vtriusque substantia sacrificij.

cum hoc sacrificium multis actionibus & speciebus consistat, ex praecepto Christi: cumq; in vtraque simul sumpta, & compleatur proprie figura sacrificij Melchisedech: & in illa consistat propria significatio sacrificij cruenti, quantum ad id, quod in eo maxime essentialiter fuit: verisimile valde est, vtriusque speciei consecrationem esse de essentia. Quarto à simili sumitur alia coniectura à rebus artificialibus, in quibus illae partes materiae essentialiter consistunt, ex quibus resultat forma totius, & sine quibus esse non potest: vt v. g. in triangulo tres lineae sunt de essentia, quia sine illis non potest esse talis figura, quae est de essentia trianguli: & similiter in domo & alijs: sic igitur in praesenti, significatio propria & integra sacrificij, est quasi forma totius sacrificij: & ideo res illae seu actiones, sine quibus talis significatio esse non potest, merito existimandae sunt essentialiter. Hoc autem modo se habet in praesenti vtraque consecratio, vt satis explicatum est: quia licet in singulis speciebus per se sumptis possit intelligi aliqua significatio, ea tantum est implicita & obscura: quando autem, aliquod signum institutum est, vt explicite praesentet, non satis est ad essentiam eius implicita & obscura significatio: sicut in forma Baptismi non satis est dicere, In nomine Trinitatis, quia illa forma instituta est cum explicita significatione mysterij, per illa autem verba tantum implicititer significatur. Nec refert, si quis dicat, per singulas consecrationes significari cultum Dei: quia non significatur, prout significari debet, iuxta voluntatem instituentis: imo non significatur ille cultus, qui per macerationem cruentam, & incruentam Christi exhibitus est: quia non representatur Christi redemptio & satisfactio, donec vtraque consecratio finiatur: & ita illa potius est quaedam inchoatio cultus, qui per vtramque speciem essentialiter consummatur.

Similitudine ab arte facta.

Scrupulo occurritur.

Ad rationem in contrarium responsum datur.

Ex quibus non solum probata est conclusio posita, sed etiam responsum est ad fundamentum prioris sententiae, nil enim refert, quod per primam consecrationem aliquid sacrum fiat, quod factum maneat, etiam si secunda non sequeretur: vnde enim solum fit, in illa consecratione esse inchoatum sacrificium, non vero essentialiter perfectum: sicut etiam in aedificatione, & erecto pariete, aliquid factum manet, quamuis aedificatio non ulterius progrediat: nemo tamen dicit iam esse domum essentialiter factam, sed inchoatam, & in alijs sacrificijs idem est: nam, si animal, quod interfici & comburi praecipitur, vt in sacrificium offeratur, prius interficiatur, & postea non comburatur, reuera interfectum manet, non tamen propterea ibi fuit sacrificium essentialiter perfectum, sed inchoatum tantum, & idem proportionaliter fuisse in sacrificio cruento Christi, si post flagella & clauorum etiam infixionem, mors non fuisset secuta: nam reuera mansisset sanguis effusus, & corpus vulneribus, seu cicatricibus affectum, & quodam speciali modo sanctificatum: non tamen fuisset sacrificium essentialiter perfectum. Ita igitur in praesenti per priora verba fit consecratio materiae: quia hoc Christus instituit, & veritas formae idem requirit: illa vero est quaedam inchoatio sacrificij, cuius actio physica statim habet effectum circa suam materiam: expectat tamen (vt sic dicam) aliam partem, donec compleatur significatio sacrificij: & ideo non fuit in illa essentialiter completum.

Effectus huius sacrificij proprie consistens non ante vtriusque consecrationem datur.

Atq; hinc intelligitur primo, proprium effectum huius sacrificij, vt sic, non dari consecrata vna specie, donec vtriusque consecratio consummatur: quia effectus non datur, donec sacrificium sit essentialiter perfectum, sicut dicebamus de sacrificio cruento: non fuisse per illud consummatam redemptionem, & propitiationem apud Deum, nisi quatenus in morte consummatum est: idem enim dicendum est in praesente sacrificio, nihil per illud fieri, donec macratio mystica perfecta est. Ad quod applicari potest illud d

ad Hebr. 9. Sine sanguinis effusione non fit remissio, neq; hoc sacrificium est propitiatorium sine mystica sanguinis effusione, & ideo, vt dixi, Christus in consecratione sanguinis mentionem fecit remissionis peccatorum. Non licet tamen hinc colligere, solum sanguinis consecrationem posse sufficere: cum quia in sacrificio praeter sanguinem requiritur victimarum etiam, quia, vt dixi, consecratio sanguinis per se sola non representaret sanguinis effusionem. Vltimo colligitur, quam fit verum, quod supra diximus, non posse vnam speciem sine alia consecrari, & quae ibi diximus, possunt etiam ad praesentem doctrinam confirmandam applicari.

Sed quaeret aliquis, an non solum vtraque species, sed etiam aliquis ordo in consecratione earum seruandus, sit de essentia huius sacrificij, id est, quod prius corpus, postea sanguis consecratur. Ratio autem dubitandi esse potest, quia hoc sacrificium est vnum per modum entis artificialis: in artificialibus autem non solum materiales partes componentes, sed etiam ordo in compositione earum est de essentia artificiali, vt patet in domo, & alijs. Et in praesenti declaratur, quia nisi ille ordo seruetur, non significabitur effusio sanguinis à corpore: quia, vt sanguis effundatur, necesse est, vt corpus praexistat; eademque ratione non significabitur separatio animae à corpore. In hoc dicendum quidem est, graue peccatum esse huiusmodi ordinem immutare contra totius ecclesiae consuetudinem, conformem Christi Domini facti ac verbis: ex quibus, & ex ratione facta, potest aliquis non omnino sine causa dubitare, an in uerbo talis ordinis sit non solum peccaminosa, sed etiam contra substantiam sacrificij: vnde dubium non est, quin hoc sit graue sacrilegium. Nihilominus tamen non video sufficiens fundamentum ad dicendum, sacrificium, in quo prius sanguis, quam corpus consecraretur, non habere veram rationem huius sacrificij: quia in re reperitur totum id, quod Christus instituit; & praescriptus ordo non videtur ita necessarius ad praedictam significationem, seu macrationem mysticam: nam in eodem momento, in quo vltima consecratio absoluitur, quae cumq; illa sit, sufficienter representatur separatio sanguinis à corpore, seu animae à corpore. Neque ad hanc representationem necesse est, vt corpus prius tempore antecedat: nam si per possibile, vel impossibile simul possent verba vtriusque formae proferri, & vtriusque speciei consecratio simul finire, nihilominus verum foret sacrificium.

Dico tertio: Actio essentialis huius sacrificij necessario includit consecrationem, prout continet transubstantiationem panis & vini in corpus, & sanguinem Christi: vnde illi duo termini, scilicet, destructio panis & vini, quoad substantias: & praesentia Christi sub speciebus, etiam suo modo pertinent ad essentiam huius sacrificij. In hac conclusione dissentio à posteriori sententia supra relata; & vt exillimo, eam tenent reliqui auctores citati. Et probatur ex dictis, quia huiusmodi actio & transmutatio, necessaria est ad hoc sacrificium, prout institutum est, vt etiam auctores secundae sententiae fatentur, & est per se euidentis; quia sine hac actione impossibile est, Christum offerri sub speciebus: est ergo necessaria; & non vt aliquid praesuppositum ad sacrificium: ergo vt intrinsece pertinet ad essentiam sacrificij. Probatur minor, quia realis sacrificium non potest consistere in mera significatione, quae nostro modo loquendi, intelligitur esse in rebus iam factis seu constitutis in facto esse: qualis intelligi potest in speciebus panis & vini in pyxide consecratis. Tum quia sacrificium proprie consistit in actione, propter quod species, quae conseruantur consecratae, non tam diu sunt sacrificium, quam diu conseruantur: etiam si ambigere species conseruentur: quia non toto illo tempore offeruntur, cum tamen sacrificium consistat in oblatione

tionē ipsa. Tum etiam, quia sacrificium eruentum Christi positum fuit in ipsa actuali oblatione passionis, quam ut sic, representare debet hoc sacrificium: species autem prius consecrata & cōseruata non representant hoc modo actualem passionem: licet representent Christum passum aut mortuum, ut supra dicebam: ergo, ut sic, nō sunt sacrificium, ut sacrificium non consistit in significatione specierum consecrarum, ut sunt in facto esse: ergo ut est in actuali consecratione earum: ergo ipsa actualis consecratio intrinsece & essentialiter pertinet ad hoc sacrificium, & non tantum, ut conditio præsupposita. Patet consequentia, quia hoc sacrificium non est significatio tantum, sed est actio significans, sicut sacramentum non est sola significatio, sed est res, vel actio, aut receptio sensibilis significans: unde, sicut ablucio sensibilis, vel alia similis actio est de essentia sacramenti: ita hic actio consecrandi est de essentia sacrificij. Dices, hoc argumento, ad summum probari, prolationem sensibilem verborum esse de essentia huius sacrificij sensibilis. Respondetur, hinc ulterius consequi, ipsamet transubstantiationem, que in materia huius sacrificij fit, quatenus per verba formæ aliquo modo sensibilis est, includi intrinsece & essentialiter in mystica maclatione huius sacrificij: quia hæc maclatio mystica non fit per nuda signa: sed vere ac realiter præsentando, & offerendo res illas, quæ mystice separari dicuntur: ut constat ex fide qua credimus, tam perfectum esse hoc sacrificium, ut in ipso corpus & sanguis Christi offerantur, non in signo tantum, sed vere ac realiter: ergo actio consecrandi, etiam ut per eam sunt præsentés sub speciebus huiusmodi res, quæ Deo offeruntur, pertinet ad essentiam huius sacrificij tum ratione sui, tum ratione sui termini, ut actualiter terminat ipsam actionem.

Et confirmatur ac declaratur, quia hæc separatio mystica non ita fit, ut prius supponantur præsentés res, quæ separari dicuntur, & postea per aliquam actionem & significationem separari dicantur, quia nec corpus, aut sanguis Christi ad est in altari, antequam consecratio fiat: nec postquam ibi sunt, fit circa illa aliqua noua separatio mystica præter illam, quæ in ipsamet consecratione intrinsece imbibita est: sed, quia per consecrationem ipsam separati sunt ex vi verborum, inde postea separata manent: sed non fit postea noua separatio: igitur solum dicuntur separari mystice corpus & sanguis Christi in hoc sacrificio, quia separati sunt ex vi verborum: ergo in hac mystica separatione, non præsupponitur tantum, sed intrinsece & essentialiter includitur ipsa effectio corporis & sanguinis Christi sub speciebus cum tali modo, ut ex vi verborum ponatur solum corpus sub speciebus panis, & solus sanguis sub speciebus vini. Nec præter hanc potest fingi alia actio separatiua, sed per hanc formalissimè fit mystica ratio, prout fieri potest. Et confirmatur secundo, quia de ratione veri & realis sacrificij est, ut aliquid sacrum fiat circa materiam, & rem oblatam, sed hic non est alia actio, per quam fiat aliquid sacrum circa materiam & rem oblatam, præter actionem transubstantiatuam, per quam & Christus, qui est res oblatam, sub speciebus constituitur, & substantia panis excluditur, & eius accidentia sanctificantur per coniunctionem ad Christum: ergo totum hoc est de essentia huius sacrificij & maclationis mysticæ. Tandem declaratur exemplo: nam in sacrificio, v.g. agni Paschalis, est confiderare realem maclationem ipsius agni, & maclationem mysticam Christi in agno representati: qui propterea dicitur, agnus occisus ab origine mundi, non potest autè intelligi, quod illa maclatio mystica fuerit de essentia talis sacrificij, nisi quatenus fundata in reali maclatione talis agni: nam ea fundabatur significatio passionis Christi: & ideo necessarium etiam fuit, ut illamet actio realis, per quam interficiebatur agnus, esset de essentia illius sacrificij: quia per illam,

ut sic fiebat aliquid sacrum circa rem oblatam: & significatio passionis Christi non fiebat, nisi per illamet actionem, ut terminatam ad talem terminum idem ergo est proportionaliter ascendendum in nostro sacrificio, quod tam verum & reale sacrificium est, & multo perfectius.

Atque hinc inferitur primo, illam habitudinem, quam dicit hoc sacrificium ad suum terminum, ad quem, id est, ad corpus & sanguinem Christi sub speciebus, esse præcipuam ac maxime intentam & essentialē in hoc sacrificio, & consequenter includere intrinsece huiusmodi terminum, ut actu terminantem hanc actionem, quod habet in ipsomet instante consecrationis. Probatur, quia res hic præcipue oblata est Christus, qui non offertur, nisi ut terminus huius actionis, ut supra declaratum est: neque aliter hæc actio illum attingit, ut constat ex dictis supra de transubstantiatione: ergo hæc actio sub prædicta ratione est maxime essentialis huic sacrificio. Patet consequentia, nam in omni sacrificio, actio quæ primario versatur circa rem oblatam ut sic, est maxime essentialis vnicuique sacrificio. Et confirmatur, quia Christus non est res oblatam, prout existit in propria specie, sed prout existit sacramentaliter sub speciebus: ergo & oblatio debet attingere aliquo modo Christum, ut est sub speciebus: quia oblatio dicitur habitudinem ad rem oblatam, ut sic, sed talis oblatio non dicitur habitudinem ad Christum præsuppositum sub speciebus: quia postquam ibi est, nihil vitra circa illum operatur: ergo, ut ponit illum sub speciebus.

Secundo infero, habitudinem ad terminum à quo id est, destructionem panis, esse suo etiam modo essentialē huic sacrificio, eo nimirum modo, quo habitudinem ad terminum à quo solet esse essentialis in qualibet mutatione. Probatur, qui, ut sæpe dixi, ad declarandum essentiam huius sacrificij, non est considerandum, quid Deus facere potuerit, sed quid facere de creuerit, aut instituerit: quia essentia præsentis sacrificij ex præsentē institutione pendet: quamuis autem potuerit Deus, corpus & sanguinem hic efficere per aliam actionem, quæ non includeret habitudinem ad non esse panis, ut termini à quo, tamen de facto instituit, ut hæc actio fieret per admirabilem transmutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi: ergo de facto actio hæc sacrificandi essentialiter includit totam hanc transmutationem, primario quidem actionem positiuam, quæ est ad terminum ad quem: secundario vero mutationem termini à quo, quæ est destructio panis. Neque hinc sequitur, panem & vinum esse res principaliter oblata in hoc sacrificio: sed solum sequitur, esse materiam sacrificij: quo modo nemo negare potest esse de essentia huius sacrificij, quatenus ex alijs materijs conici non potest. Ex quo etiam sequitur, id, quod fit circa huiusmodi materiam, qualis est separatio specierum sacramentalium, ad quam necessario sequitur desideratio panis & vini, essentialiter pertinere ad essentiam huius sacrificij. Patet consequentia, quia est aliquid sacrum, quod fit circa rem oblatam: quæ non est tantum caro & sanguis Christi per se ac nude sumpta, sed ut coniuncta speciebus sacramentalibus: ergo tota illa actio, vel mutatio est de essentia huius sacrificij. Denique tota est supernaturalis, & aperissima, ut fiat in cultum Dei: & tota fit per modum vnus: ergo tota instituta est per modum vnus essentialis sacrificiationis.

Fundamentum igitur secundæ sententiæ fere ex dictis expeditum est: ostendimus enim, quomodo tria illa supra numerata, sint de essentia huius sacrificij: quod autem dicitur, destructionem panis non esse per se intentam, neque fieri ad placandum Deum, nō obstat: quia terminum à quo non oportet esse per se intentum, quamquam ad essentiam mutationis suo modo pertineat, eo tamen modo, quo necessarius

Prima oblatio ex prædicta.
Habitudinem quam hoc sacrificium dicit ad corpus & sanguinem Christi, primario intentam esse.

Habitudinem ad panem & vinum, ut destructum in sacrificio essentialiter secundario.

Ad idem in panis & vini separatio de essentia Eucharisticæ sacrificij.

Ad fundamenta secundæ opinionis responsio.

